





EX BIBLIOTHECA H.W.OCHS,
AB OCHSENSTEIN.

Nicolai. Sc. Vi.

A Selneckeri f. D. Nicol
Catalogus principu-
rum Conciliorum
oeconomiarum, Fran-
cofurti, 1571, 8.º.

INTRODUCTIO ME. 5. ~~6~~
THODICA

IN PASSIO-
NEM ET MORTEM
IESU CHRISTI, FI-
lij DEI, Mediatoris inter
DEVM & hominem,
scripta

A

M. GREGORIO PER-
litio Lubenensi, Scholæ Cobu-
siensis Rectore.

Quæ contineantur hac introductione,
sequens pagina indicabit.



GORLICII
Excudebat Ambrosius Fritsch.

Anno

M. D. LXXXIII.

*SERIES EORVM,
quæ in hac Introductione con-
tinentur.*

1. Breuissima & vtilis Methodus, de passio-
ne FILII DEI.
2. Obiectiones & refutationes, de passione
CHRISTI.
3. Explicatio vel potius dispositio Methodi-
ca, aureæ sententiæ, ex 1. Ioh. 1. Sanguis
I. C. emundat nos ab omni peccato.
4. Elegia, Iohannis Maioris D. de Chri-
sti passione, depicta in ROSAE ima-
gine, sub finem additur.

EX PRIORI IOHAN.
PRIMO.

*Christe, tuus sanguis, nos crimine purgat ab omni,
Id modò si cupimus non dubitante FIDE.
Propositum restat, FIDEI sed munera languent,
Tu tamen in nobis amplificato FIDEM.*

M. Gregorius Perlitius Lube-
nensis Maior, Eccle. Chri-
sti apud Vuelschleuienses
in Saxonia, pastor.

NOBL

NOBILITATE GE-
NERIS ANIMI QVE, VIR-
tute, sapientia & pietate præstanti.
DN. IOACHIMO à SCHVLEN-
BURG, in Lockenitz, Lubenauu,
Penkuhn, Straupitz, Lubroß, Apen-
burg, Uuesterburg, &c. Dn. ac pa-
trono suo venerando, precatur sa-
lutem & pacem à DEO, per
CHRISTVM.

IAnua deducens ad cœlum Passio Christi est,
Quam referare potest nil, nisi sola fides.
Sola fides illam referans, nouisse laborat
Historiam, velut est causa peracta, prius.
Noriciam talem sequitur fiducia cordis,
Commeritum assensu percipiente bonum.
Hoc requiescit ouans, & sentit gaudia menti
Tristitia pulsa, iam rediisse suæ.
Se patitur posthac nulla ratione moueri
De solida passi religione DEI.
Vulneribus Christi nimiū constanter adhæret,
Hinc etiam certæ signa salutis habet.
Attribuunt alij diuersis cœlica rebus
Ostia, sed nunquam fraude doloꝝ carent.
A 2 Ethnica

Ethnica turba Deos numeroſo pandit aceruo,
Et colitur ficto pro Ioue forma Iouis.
Elyſios Virtus talem comitatur in hortos,
Quos meminit nullo pagina ſacra loco.
Ipſe Charon Stygijs animas qui tranſuehit vna
Eſt modò conficti vana figura Senis. (dis
Longius à cœlo tales idcirco deerrant:
Vir miſer eſt rectam qui nequit ire viam.
Horribiles Turcæ Mahometi nomen adorant,
Qui fuit infanda fraude paratus homo.
Hoc paradifiacos cupiunt inuadere campos,
Dæmonis at tristes ingrediuntur aquas.
Turca Deum ſeſe cognominat ipſe Tyrannus,
Et proprium Chriſti vult abolere gregem.
Hunc equidem fateor premet, at non opprimeret
HESEKIEL vates ſi modo vera canit. (vnquã
Quale parens præſtat, caſtigans verbere prole,
Oſcula mox reddit, verberat igne cremat.
Sic caput infandum Turcarum in fine peribit,
Vt queat agnoſci verus honore DEVS.
Sic fremebunda luet dignas blaſphemia pœnas
Pro foribus cœli ianua Ditis erit.
Papa ſuos radens in diro vertice crines,
Cum monachis aliam quærit ad aſtra viam,
Sufficit haud ipſi digniſſima Paſſio CHRISTI.
Paſſio quæ ſclerum diluit omne malum:
Adiicit humanum ſed opus, mereatur vt illud
Aetherias, extra te pie CHRISTE, domos.
Ridiculum ſtolidūq; nefas hoc nonne videtur,
Perdita lucretur quod caro regna DEI?
Aſt,

Ast vt homo totus malus est, sic actio talis,
Quam sine credendi munere præstat, erit.
Qualis adest ibi vis Fidei, cum vulnera Christi
Ingenua spernit calliditate Papa?
Crimine præterea se polluit omnibus horis,
Quod iubet æternum sumere tela DEVM,
Crimine blasphemio vult deturbare Tonantem
Tum sobolem, cupit & sanctus adesse Pater
Tradere pro libitu, vult leges, vertere dogma
Quamlibet in partem pro ratione studet.
Quæ statuit solus, rata mandat vt omnibus ad-
Quæ statuunt alij scit reprobare, viri. (sint
Hinc ea demandat fieri quæ commoda ventris
Imperijq; sciunt amplificare sui.
Omnia sub specie recti, fideiq; parandæ
Venditat hinc dicens esse salutis opes.
Hicne cohorte sua credat, pariatue salutem
Tum sibi tum reliquis in ditioe viris?
Plus nihilo facit in sacris, concludit olympum,
Ac aperit stygias ostia nigra fores.
Plurima corda rapit, perimitq; nefarius autor:
“ Væ, quibus instillat Papa venena malus.
Sunt etiam reliqui quærentes ostia cæli,
Nec tamen in Christi sanguine, morte, cruce.
Stoicus ordo prior, fingens decreta parentis
Aetherij, paucos quod velit esse suos.
Alter at egregio Donati nomine gaudens,
Post lapsum veniæ pernegat esse locum.
Ostia concludunt isti, quæ cælica pandunt
Numina, tum donant gaudia summa poli.

Passio sed Christi modò non confutat vtrosq̃,
Sed reliquos etiam, quos numerare piget.
Sufficiens meritū venit hinc, & liberat omnes
Crimine pollutos, quot vagus orbis habet
Si modò confisi sunt omni tempore Christo:
Quod nequeunt vires impetrat alma fides.
Impetrat vna fides, vt Christi vulnera fiant
Nostra, simul nobis omnia dona ferant.
Vulnera tum Christi nostra sub mente residunt,
Et remouent pavidos qui nocuere, metus
Vulnera tum Christi conspergunt nostra colore
Pectora purpureo, ceu toga regis erat.
Efficiunt Reges nos omnes Vulnera Christi,
Vulneribus nostris attribuenda F I D E.
Temporis ast huius non interitura ministrant,
Sed potius rutili viuida sceptrā poli.
Insper asseruant fulgentem luce coronam
Magnificæ laudis læticiæq̃, pijs.
Hæc igitur iuuenes merito sacra vulnera discunt,
Hæc merito capiunt in pietate senes.
Tum, sibi magnanimi videantur, & arte periti,
Hæc benè sub vita si didicere sua.
Hinc breuitas præsens erit excusata probatis,
Debeo qua pueris utilis esse meis.
Interea, lege vel sanctissima scripta Lutheri,
Vtile seu viui dogma docentis habe.
Nostra necessariò breuior mens esse laborat,
Vt iuueues capiant obtineantq̃ bonum.
Qui magis est fidus, magis applicat omne iuuentæ
Dexteriore prius, post breuiore modo
Quia

Quicquid id est, Ioachime tibi, Schulseburgica
Offero, suscipias quaeso, fauente sono. (virtus
Nā retines nomen placido quod in omine con-
Scilicet auxilio praesidioque scholae. (stat,
Quae simul exposui sunt penè scholastica, quare
Conueniunt titulis nominibusque tuis.
Praecipue clarus cum sis IOACHIMVS, auito
Nomine, sit sedes mens animusque, DEI.
Promoueas istam sacro cum dogmate sedem,
Ac in ea teneat passio sancta locum.
Passio laetificat, demonstrans ostia caeli
Omnibus, hanc vera qui coluere FIDE.
Illa tuos animos fidei cum munere seruet,
Prosper ut existens templa scholasque iuues.
Illa tuam mentem cum prole, Richarde, guber-
Diuitijs possis gratus ut esse DEO. (net
Et breuiter, sanent nos omnes Vulnera Christi
Sanatus CHRISTI vulnere, saluus erit.

COTBUSII, XXV. Die
Martij, qui conceptioni et pas-
sioni IESV Christi, atque adeo
initio nostrae redemptionis est
sacer, Anno à partu uirginis sa-
luberrimo. M. D. XXCIII.

M. Gregorius Perlitius Lub.
Scholae Cotbusiensis Rect.

A 4

BRE



BREVISSIMA
ET UTILIS ME-
THODVS, DE PASSIO-
ne Filij DEI.

Quid significat Vocabulum
passionis?

1. Passio in genere πάθημα siue πάθησις
græcis, significat animi perturbationem, seu
affectiōnem tristem cordis compressi, ob ma-
lum aliquod vel præsens vel futurum.

2. Significat cruciatus corporis, eiusq̃
membrorum, ortos ex nervorum dilacera-
tione, siue vehementi contusione & lesione
eorundem, interdum vsq̃ ad mortem, Græ-
cis ἔκρωσις.

3. Sic etiam hoc loco passio Filij Dei, quam
Græci notantes genus mortis, specialiter no-
minarunt σάυρωσις, atq̃ ea non tantum de
cruciatibus corporis, sed multò magis de do-
loribus, & affectiōibus animæ uniuersis,
intelligi debet, iuxta vocem CHRISTI,
Matth. 26. Tristis est anima mea vsq̃ ad
mortem. Item, Psalm. 22. DEVS meus,
DEVS meus, quare me dereliquisti.

A 5

Opòrtuit.

Oportuit ne ita pati filium DEI?

Maximè oportuit, id quod perspicuum est ex Moyse & prophetis, sicut idem Dominus interpretatur duobus discipulis euntibus Emauntem, Math. 24. Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, tertia die, & prædicari in nomine eius, pœnitentiam ac remissionem peccatorum, in omnes gentes.

Recita insignius testimonium ex Moyse.

Genesis 3. cap. Semen mulieris concubabit caput serpentis, & tu mordebis calcaneum eius. Hic in morsu calcanei, significatur, quod serpens seu Diabolus, acerbissimo & virulentissimo morsu, crudelissimisq; Vulneribus, Christum humiliatum, & destruentem regnum tenebrarum, sit lacerturus: Quod per Iudæos tanquam per organa Diaboli, hostiliter est perpetratum.

Expone aliud.

Genes. 49. Lauabit in vino stolam suam & in sanguine vuae pallium suum, h. e. calcabit solus torcular tempore passionis. Esaiæ 63. Sicut enim calcans vinum, eo conspergitur

Spargitur in vestimentis: Ita Christus flagellatus & vulneribus affectus sanguine totus maduit.

Ostende mihi eius rei insigniores typos.

Præter immolationem Isaac, Genes. 22. Vnum est in agno Paschali, Exodi 12. Alterum in aneo serpente, Num. 21. De priori dicitur, Ioh. 3. Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto. Ita exaltari oportuit filium HOMINIS, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. De posteriori vero, extat dictum Pauli in 1. Cor. 5. Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus. Joh. 1. Ecce agnus DEI, qui tollit peccata mundi. Item oblationes multifarie & sacrificia Leuitica euidenter demonstrant hoc $\lambda\upsilon\tau\epsilon\sigma\upsilon$ Filij DEI. Nam propter hunc solum, sacrificia illa fuerunt grata atq; accepta DEO, siquidem is oblatus est DEO patri in odorem suauitatis, Eph. 5. Christus dilexit nos & tradidit semet ipsum pro nobis oblationem ac victimam DEO, in odorem bonæ fragrantia.

Suntne etiam alia testimonia ita euidentia?

Maximè,

Maximè, tum alibi, tum in Psalmo 22.
Vbi exprimuntur ipsa ferè verba Filij DEI,
quibus est usus in cruciatibus. Item, apud
Esaiam 53. cap. Vbi ita elarè describit Pro-
pheta passionem Christi, ac si fuisset eius spe-
ctator. Nam I. Evidenter pingit miseri-
am generis humani in similitudine ouium
deerrantium. Huic opponit voluntatem &
amorem paternum DEI, in mittendo Mes-
sia, quem nominat 1. Seruum, 2. Sublimem,
3. Iustum, 4. Prudentem, 5. Brachium Do-
mini, 6. Virgultum terra sitientis. II. Com-
memorat perfectionem obedientia in pas-
sientia Christi admiranda, eamq; depingit
in agno mactando: impio: transgressore.
Huic subijcit fructum passionis, Liberatio-
nem videlicet Ecclesie, & reconciliationem
cum DEO, qua tollitur 1. Ira DEI. 2.
Diaboli malitia. Adfertur vero 1. Pax 2.
sanatio vulnerum. III. Modum applica-
tionis ostendit 1. Continentiam oris Regum
gentium, Nostrum, ea est agnitio FIDE ap-
plicanda. Huic opponit vaticinium de Scan-
dalo plurium hominum: Pauci credunt ser-
moni: Multi abscondunt vultum: Pluri-
mi non reputant Christum patientem.

BREVIVS

BREVIVS, Demonstrat Prophetia hac tria
1. Personam patientem, 2. Circumstantias,
quid, quomodo, & cur, patiatur, 3. Utilita-
tem quæ consistit in remotione iræ DEI &
Diaboli malitiæ: Restitutione vero pacis,
& sanationis vulnerum: Agnitione seu Fi-
de omnia docet esse applicanda.

Plura testimonia quæ breuitatis causa
prætermittimus, requiras tum alibi, tum
apud Danielelem, cap. 9. Zach. 9. 11. 13.
O mors ero mors tuâ.

**Eueneruntne ista omnia secun-
dum scripturam?**

Euenerunt exactissimè, idq; anno mun-
di, 3996. cum ingressus esset annum 34.
die 25. Martij, in ipso plenilunio. Ut testa-
tur historia passionis, contexta à quatuor
Euangelistis, Math. cap. 26. & 27. Marc.
14. & 15. Luc. 22. & 23. Ioh. 18. & 19.
Nunc ad definitionem pergamus.

Quid est passio IESV CHRISTI?

Passio IESV CHRISTI, est propis-
ciatoria obœdientia, atq; ideo admiranda &
inenarrabilis præstita æterno Patri, usq; ad
mortem crucis, idq; pro expiandis peccatis, &
placanda

placanda ira DEI, ut omnes credentes sanctificentur per eandem ad iusticiam & vitam eternam.

Qualis est hæc definitio?

Causalis, in ea enim efficiens & finis, causa videlicet exteriores, potissimum exprimuntur. Atq; Efficiens, in Relatione, fundamento & Relatiuo, utpotè voluntaria obedientia J. C. & consensu patris æterni, ponitur. Ubi obiter inseritur forma passionis, quod ea fuerit admirabilis & inenarrabilis, exhibita usq; ad mortem crucis. Philipp. 2. Humilem præbuit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Finalis, est posita in termino & correlatiuo. Passio exhibita est in eum finem. 1. Ut placaretur ira DEI, 2. Expiarentur peccata hominum, 3. Ut credentes sanctificarentur ad iusticiam & vitam eternam. Rom. 5. Reconciliati sumus DEO, per mortem filij ipsius. 1. Joh. 1. Sanguis Jesu Christi, emundat nos ab omni peccato. Ebre. 13. Jesus ut sanctificaret populum suum, per proprium sanguinem, passus est extra urbem. Rom. 3. Justificamur GRATIS ipsius gratia, per redemptionem, que est in

est in CHRISTO IESU, per fidem in sanguine eius. Joh. 14. Accipiam vos ad me, ut ubi ego sum, & vos sitis.

Quottuplex est passio CHRISTI
secundum partes?

Duplex. { Anima &
Corporis.

1. Anima sunt horrendi atq; acerbissimi dolores molem peccatorum totius mundi sentientes, & conscientiam terrentes, sicut exclamat Christus. Math. 26. Tristis est anima mea. Psal. 22. DEVS meus, DEVS meus, quare me dereliquisti. Imposuerat enim DEVS super eum peccata omnium nostrum. Esaia 53. cap.

2. Corporis, sunt multiplices cruciatus corporis & membrorum CHRISTI exteriorum utpotè 1. Capitis in impositione corone spineæ. 2. Totius corporis flagellando macerati. 3. Perfossione manuum, pedum, lateris: & breuiter, ordo cruciatuum corporis, commodè potest distribui, iuxta ordinem historiae, quæ diuiditur vsitate in 4. actus. Habet enim quæ passus est 1. In horto. 2. Domo Caiphæ. 3. Domibus Pilati & Herodis. 4. In eductione, crucifixione & morte.

Hinc

Hinc VERSVS.

Hortus, item Caiphas, Herodes atq; Pilatus,
Cum cruce, productum discruciare DEVM.

Quæ sunt species passionis ?

Species siue genera } ΤΙΜΩΡΙΑ,
passionum sunt 4. } ΔΟΚΙΜΑΣΙΑ,
 } ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ, &
 } ΛΥΤΡΟΝ,

1. ΤΙΜΩΡΙΑ est pœna proprijs peccatis
commerita, qualis est latronis in cruce, Da-
uidis, &c.

2. ΔΟΚΙΜΑΣΙΑ est paterna probatio Chri-
stianorum, & salutaris mortificatio, veteris
hominis.

3. ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ est testimonium apertum, di-
uinae veritatis, & confessio fidei.

4. ΛΥΤΡΟΝ est precium æquiualeus, pro
peccatis totius mundi, quæ species solè
CHRISTO filio DEI tribuitur.

Potestne hæc postrema species sub-
diuidi in alias ?

Potest. Nam alia est passio CHRISTI,
quæ incipit statim. 1. In Natiuitate cum
iacet in præsepi. 2. Alia est infantia, cum in
Aegyptum secedit ob Herodis tyrannidem.
3. Alia pueritia & adolescentia, ubi mira
patientia

patientia vel obœdientia, quo q̄ suos habuit
 dolores. 4. Post baptismum in deserto, ubi
 esuriit, & à Diabolo tentatus est. 5. In of-
 ficio publico, ubi aliquoties secedit, & contu-
 melijs multis afficitur, apud Iudeos blasphemus,
 tum alijs, tum ijs potissimum, Christum
 habere Diabolum, & miracula edere
 per Belzebub. 6. In impietate Iudæ, disci-
 pulo suo simul, & proditore, suspendente se
 ex desperatione, atq̄ in condemnationem
 irruente. 7. In passione propriè sic dicta, in-
 cipiendo ab ijs quæ passus est in horto, usq̄ ad
 mortem in cruce. Non enim est dubium,
 quin per singulas species ineffabiles passio-
 nes sustinuerit, ob peccata aliena, totius vi-
 delicet mundi, quæ statim ab incarnatione
 in se erant deriuata. Sic enim dicitur Esai.
 43. in persona laborantis pro peccatis Eccle-
 siæ: *Seruire me fecisti in peccatis tuis, præ-
 buisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.*

Quæ sunt causæ passionis ?

Quatuor. { Efficiens.
 { Materia.
 { Forma &
 { Finis.

E

Recita

Recita efficientes causas

I. Absoluta causa efficiens est Βῶλκσις
vel δῶαμις I. Βῶλκσις est ordinatio diui-
na, negotium hoc, ab aeterno sic disponens.
Hinc apparet 1. Christum non casu passum.
2. Nec fatali necessitate coactum: sed iuxta
revelationem scripturae II. Δῶαμις est fa-
cultas, qua non tantum voluit, sed potuit
etiam redimere hominē, ex condemnatione.
II. Adiuuans seu impellens est I. ὡροκα-
ταγκτικὴ Exterior, scilicet peccatum. Esaiæ
43. Seruire me fecisti in peccatis tuis, labo-
rare me fecisti in iniquitatibus tuis: Ego,
Ego sum, qui deleo iniquitates tuas, propter
me, & peccatorum tuorum non recordabor.
Rom. 4. Christus mortuus est propter pecca-
ta nostra, &c. 2. Ira DEI, & iustitiae eius
immota, flagitans pro delicto sufficiens ἄ-
τροπ. Eius ira illustrissimum exemplum est
passio & mors filij DEI, idē, pra diluui-
o, conflagratione Sodoma, euerfione Hierosoly-
ma, destructione Troia. Item, pra Saulis pœ-
na, Iude, Neronis. 3. Jus redemptionis ad
solum Mediatorem pertinens, cui accedit
ius debiti ex promissione in Paradiso. 4. Jus
propinquitatis, siquidem Christus frater no-
ster,

Lacussens
Viri tabri
Ex Sal p
te

ster, os & caro, ex carne, & ossibus nostris, *epg v*
excepto peccato. Nemo enim iustius quen-
quam redimit, quam frater fratrem. 5. Fus
dominij, quod Sathana, qui in id inuaserat,
malitiose, Christus tanquam Heros noster eri-
pere debebat. 6. Causa efficiens *εργον υμιν*
seu interior est. 1. Amor aeterni patris, *Ex diu p m*
Joh. 3. Sic DEVS dilexit mundum, &c.
2. Interior filij est amor & voluntas eius
sponte intercedentis pro genere humano.
Esaie 53. Oblatus, quia voluit. Eph. 5.
Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum
pro nobis, oblationem & victimam.

Quæ fuerunt causæ Instrumentales
les passionis: *εργον υμιν*
Τε εργον υμιν

Sathan, cum suis organis, ex permissione
sancientibus in Christum DEVM & hominem
aptissimum nostræ salutis organum. Et Sathan
quidem inueterato odio persequitur semine mu-
lieris, & cum aliud non possit, mordet calca-
neum eius. Instrumenta Sathana sunt, 1. Judas
cum turba. 2. Sacerdotes, numerantes Iuda 30.
argenteos, consultantes etiam & querentes
falsos testes. 3. Hannas item et Caiphas cum
Pilato. 4. Populus acclamans: Tolle, Tolle, Et
sanguis eius super nos & filios nostros.

B 2

Quæ

Quæ est materia in qua, seu subiectum passionis?

Christi corpus & anima. Augustinus de Trinit: ut probetur verum habere corpus, suscepit defectus corporis famem, sitim & huiusmodi: Et ut veram animam probaretur habere, suscepit defectus animæ, tristitiam, timorem, dolorem, &c. Idem, Non vitijs & peccatis, sed humanis malis, h. e. doloribus repleta fuit anima CHRISTI, quibus ipsa compatitur carni.

Quæ est materia ex qua & circa quam?

Totus CHRISTVS est materia, circa quam tota ludit actio: Nam in hunc omnes conatus incumbunt, omnia consilia in istum diriguntur, ut morti tradatur. Materia vero ex qua, est damnatio hominis, Nam ex hac tanquam actus, adeo luctuosus fluxit.

Quæ est forma passionis Filij DEI?

Forma, comica est, luctuosus processus totius humiliationis ac obædientie. Nam tollitur in crucem, magna cum indignatione, & rerum exitus placidus est. Potenter enim resurgit. Hunc etiam pertinet genus mortis;

mortis, quod sanè ignominiosissimum est. Nam non solum in crucem exaltatur, sed inter duos latrones, medius pendet. Modus gesta rei etiam potest referri ad formam, ut potè quid sit passus in horto, quid à militibus, quid in via, quid in loco supplicij.

Quis est finis passionis CHRISTI?

Præter fines in definitione expressos, etiam expendantur diuersi in eodem negotio agentes quorum non idem fuit consilium.

1. Agit DEVS Pater, ut promissiones de redemptione generis humani impleantur. 2. Agit Christus, inspiciens $\lambda\upsilon\tau\epsilon\omega\sigma\iota\varsigma$, precium redemptionis, & salutem nostram, idq; moriendo, resurgendo, ascendendo, intercedendo, nobisq; cælum aperiendo, qui fines sunt intermedij. 3. Agit Sathan & impia eius organa, respicientia Christi interitum, ignominiam & confusionem eius publicam. 4. Judas respicit suum lucrum 30. argenteorū.

Qui sunt effectus passionis?

I. Multiplex consolatio hinc oritur. 1. Contra legem accusantem. 2. Contra mordentem conscientiam. 3. Contra aggrauans peccatum. 4. Contra vim mortis. 5.

Contra horrores & impetus Sathane. 6.
Cumq; pater aternus sit, restituta vita placatus, opera mortis, peccati & Sathane sint destructa, certa his opponi potest inde consolatio.

II. Ad nostri notitiam facit, unde intelligimus, quantum mali contulerimus, ad hoc tantum negotium: Et quam nihil boni ad redemptionem nostri conferre potuerimus. Huc facit quotidiana Augustini precatio, comprehensa hoc disticho:

*Da mihi sancte DEVS, quo TE cognoscere possim,
ME quoq;: Da vitam cum pietate regam.*

*Ach Gott/gieb/dasß ich Dich vnd Mich
Recht erkenn/vnd leb seliglich.*

III. Ad vita nostra emendationem pertinet, abnegando nosmet ipsos, & exprimendo professionem, vitæ innocentia.

IIII. Fruitamur hac passione ad considerandum. 1. Reditum nobis ad cælestia patefactum. 2. Perpetuam intercessionem pro nobis fieri. 3. Presentiam Christi ad consummationē seculi. 4. Promissionem & donum Spiritus sancti. 5. Reditum ad iudicium & resurrectionem nostram. 6. Certitudinem oraculorum diuinorum, siquidem

dem hic secundum scripturam omnia transi-
guntur.

Quæ sunt cognata passionis
Christi. ?

Sunt afflictiones sanctorum, quos oportet
similes fieri imagini Filij DEI, Rom. 8.
Atq; illæ sunt aut Τιμωρίαι aut δ'οκιμασίαι
aut μαρτύριον, cum unica passio Christi sit
λύτρωσις ut supra diximus. Hic de afflictio-
nibus istis sanctorum notentur dicta. Luc. 9.
Qui vult esse meus discipulus, tollat crucem
suam quotidie & sequatur me. 2. Timoth. 3.
Omnes qui piè volunt vivere in Christo IESU,
persecutionem patientur. Ebr. 12. Filium
quem diligit, castigat Dominus, flagellat
autem omnem filium quem recipit. Item
in 1. Pet. 4. Nemo vestrum affligatur
ut homicida, ut fur, ut facinorosus aut cu-
riosus alienarum rerum, Psal. 119. Bonum
mihi Domine, quod humiliasti me, ut disce-
rem iustificationes tuas. Item, Obseruetur
Regula: Causa beatos facit, non μαρτύριον.

Quæ nam pugnant cum Christi
passione. ?

I. Error Turcarum, & aliorum, affirman-
tium Christum cum sit passus, non esse DE-

B 4

V M, cum

V M, cum tamen extet, Act. 20. Deum sanguine suo redemisse Ecclesiam, communicatione videlicet Idiomaticum.

II. Error Manichaorum, asseuerantium, Christum solummodo ceu spectrum, passum fuisse. Item, eorum, qui putatiuam iudicant Christi passionem, ut est Cerdon & Basilides, teste Epiphanio & Ireneo in refutatione eorum errorum.

III. Papista, docentes, passionem Filij DEI, FIDE applicandam, non sufficere ad iustificationem, sed operibus nostris ad partem esse tribuendam. Sed contra has blasphemias notentur dicta ad Galat. 2. Si opera iustificat Christus frustra mortuus est. Rom. 3. Iustificamur GRATIS, &c. per redemptionem, que est in CHRISTO IESU.

OBIE-

OBIECTIONES

QVÆDAM, ET RE-
FVTATIONES DE
passione Christi Filij

DⁱE I.

Est ne passio Christi dubia ?

NON EST. CONTRA.

Omne definitum dubium, facit definitio-
nem, atq; adeo subsequentem doctrinã dubiã.

Passio, est definitum dubium, siquidem non
Christo tantum, sed etiam Martyribus, alijsq;
attribui potest.

Ergo facit definitionem, & subsequentem
doctrinam dubiam.

*Responsio. Est Fallacia Diuisionis. Ma-
ior vera est, nisi accommodetur, ad certam si-
gnificationem, vocabulum dubium. Minor
autem est falsa, quia apponitur certa signifi-
catio, in eo, quod sit Christi passio, qua fuit
obædiens æterno patri, vsq; ad mortem, mor-
tem autem crucis. Philipp. 2.*

*Fallacia
diuisionis*

Verane est historia passionis apud
Euangelistas ?

Est vera. CONTRA.

B 5

Vbicunq;

Vbicunq; plures sunt testes, licet parum dis-
crepantes, ibi res fit dubia.

In historia passionis, plures sunt testes, sæpè
discrepantes.

Ergo rem in dubio relinquunt, & P.C. passio
ad omnia non conuenit.

Minorem probo, quia vnus Euangelistarum
sæpè aliquid ponit, quod alij non assumunt,
qualis est recessio, & casus Iudæorum resupi-
nus, ad Christi verbum in horto: Ego sum, &c.
Iohan. 18.

Nota
Ti

Responsio. 1. Est fall: Secundum
quid, in Maiore. Alij parum discrepantes
in fundamento, falsi iudicantur. Alij vero
tantum dissentiunt in circumstantiarum enu-
meratione, quæ sæpius non censetur necessa-
ria. 2. Est fall. cause in Minore. Quamuis
enim Euangelistæ in circumstantijs, imò sæ-
pe in verbis videantur discrepare: Tamen
propterea in dubium non potest adduci illorum
doctrina de Christo. Imò si in fundamento
consentiunt, tantò firmioris testimonij loco
haberi poterunt, teste Chrysostomo. Contra
si in rebus & verbis ex toto conuenirent,
maius dubium inferretur, quasi nimirum con-
uenissent, & vnus fucum sub diuersis nomi-
nibus

nibus vendere decreuissent. Cum vero sine
fucō vnā rem seu fundamentum & aspici-
entes & tractantes eodem deueniant, verif-
sima permanent, tūm alia, tūm passio Chri-
sti. Quod enim Irenaeus de ieiunio dixit:
Ieiunij dissonantia non tollit fidei consonan-
tiam: Id de paruis dissonantis Euangelicis
dici potest: Quāquam alij, aliter factum
narrant: Tamen idem fundamentum Chri-
stum Iesum, persoluentem opus redemptionis,
nascendo, moriendo, resurgendo, ascendendo
in caelos, respiciunt. Maxime autem oritur
dissonantia, quod singuli Euangelistae, diuer-
sis locis, temporibus, & linguis scripserunt.
Nam Matthaeus scripsit Euangelium Ebra-
icē: Marcus discipulus Petri, scripsit idem
Graecē in Aegypto: Lucas comes peregrina-
tionis Pauli, literis mandauit ea, quae audi-
uit à praeceptore Paulo: Iohannes post mor-
tem reliquorum Euangelistarum & Apo-
stolorum, in vrbe Epheso contexit suum
Euangelium, cum iam orta esset haeresis &
blasphemia Ebionis & Cerinthi. SOLV-
TIO contractior. Etsi in circumstantia-
rum designatione quaedam varietas est, ta-
men de fundamento eadem vox est omniū.
Chryso-

Chrysoſtomus, idem ſic inuertit: Imò parua
» interdum diſſonantiæ in Euangelys, argu-
» mentum præbent veritatis, ne ex composito
» videantur ſcripſiſſe, ſi omnino conſentirent.

Fuitne aliquando diuinitas Chriſti ſe-
parata ab humanitate?

Non fuit. C O N T R A.

Derelictus à D E O, eſt ſeparatus à D E O.
Chriſtus conqueritur in paſſione, ſe derelin-
qui à D E O.

Ergo conqueritur, ſe ſeparari à D E O, & P.
C. ibi fuit ſeparatio diuinæ & humanæ naturæ.

Reſponſio. *Est fall. Phraſis. Ibi non
conqueritur Chriſtus, quod diuina natura ſit
ſeparata ab humana, ſed quod nondum ſen-
tiat liberationem in illa triſtiſſima paſſione:
Et λόγος qui eſcens, nondum utatur ſua po-
tentia, contra vocationem humiliationis.*

Fuitne diuina Maietas in Chriſto
mortua?

Non. C O N T R A.

Vita eſt mortua iuxta dictum: Vita in ligno
moritur.

In Chriſto diuina natura eſt vita.

Ergo illa eſt mortua.

Reſponſio. *1. Est fall. Aequiuoc. in
Maiore. Vita enim interdum ſignificat con-
tentum*

Fall
Q. 206

Fall
agnocatiois

tentum corporis, interdum per metalepsin
integram personam. Ita hic intelligitur de
tota persona Christi in concreto, hoc est, toto
Christo, qui est dator vitæ & viuificator, si-
cut in hoc dicto idem asseritur: Ego sum via,
veritas & vita, Ioh. 14. 2. Est fall. diui-
sionis in maiore, ubi altera natura seorsim
consideratur, cum tamen diuina & humana
natura sunt copulata unione personali, seu
hypostatica, in æternum non diuellenda.

Urgeo idem argumentum hoc
modo.

Dominus gloriæ est crucifixus.

Diuina natura in Christo, est dominus gloriæ.

Ergo illa est crucifixa, atq; adeo mortua.

Responsio. Est fall. Phrasis. Hic Do-
minus gloriæ, non est abstractum, sed potius
concretum, & intelligenda de tota vel per-
sona vel de officio totius personæ per com-
municationem idiomatum. Sic est in Psal.
110. Dixit Dominus, &c. Si concederetur
diuinam naturam mortuam esse, sequere-
tur, mutatam fuisse diuinitatem, & in di-
uinitate et. aliquando fuisse duas tantum
personas, extincto λόγῳ, contra vocẽ DEI.
per Malachiam prophetam 3. cap. editam:
Ego sum DEVS, & non mutor.

Estne

Estne Christus ob peccata nostra
totus passus ?

Imo totus, in tota persona. **CONTRA.**

Anima non significat totam personam.

Christus est tristis usq; ad mortem, secundū
animam, Matth. 26. Item, dat animam suam
pro ouibus. Ioh. 10.

Ergo non secundū totā personam est passus.

Fall cons.

Responsio. 1. *Est fall. Consequentis
in Maiore, quæ falsa est. Nam essentialis
pars, sæpè numero ponitur pro toto. Vt Gene.
46. Genuit Iacob 16. animas, id est, homi-
nes. Leuit. 7. Anima, quæ ederit sangui-
nem peribit, id est, homo. Idem iudican-
dum est de Christo filio DEI, de quo dicitur
53. cap. Esaia: Laborauit anima eius. Idq;
per excellentiam pro tota Christi persona.*

2. *In Minore est fall. diuisionis: Etiam si
enim fiat mentio animæ; Tamen copulatio
indissolubilis non patitur, animam Christi
seiungi à tota persona, iuxta Damascenum.*

**Urgeo id, Christum non esse totum
passum, sic argumentando.**

Nemo, morsus in calcaneo, totus mordetur.

At Christus est morsus in calcaneo.

Ergo nequaquam totus est morsus, & P. C.
Christus secundū partē solūmodo est passus.

Respon-

Responsio. 1. Est fall. conseq. Morsus in maiore intelligitur regulariter: Minor vero inusitate, de Christi filij DEI passione & morte. 2. Est fall. phrasis. Calcaneus hoc loco significat totam personam Christi, in humiliatione, ad passionem ordinati, & maxime id, secundum quod pati potuit iuxta Ireneum λόγῳ scilicet requiescente. Nec sequitur ex calcanei morsu Christum in pectore lancea & spinis in capite vulnerari non potuisse, cū Calcaneus totam Christi humiliationem significet.

Oportuitne Christum pati?

Maxime oportuit. CONTRA.

Agens liberrimū, nulli necessitati alligatur. Christus est agens liberrimum.

Ergo non fuit alligatus necessitati & P. C. nec oportuit Christum pati?

Responsio. Est fall. Aequiuoc. in vocabulo necessitatis. Aliqua necessitas est patefacta in Verbo DEI, ad quam DEVS, se sponte alligavit, nec vult eam violari, ne quid derogetur veritati iusticie sue. Aliqua vero necessitas non est patefacta in verbo, ad quam DEVS, tanquam agens liberrimum se non alligavit, atq. de illa maior loquitur.

quitur. Minor intelligi debet de humili-
atione, destinata ab aeterno ad passionem à
Christo sponte susceptam.

Oportebatne CHRISTVM mori?

Maximè oportebat. CONTRA.

Nemo lauans stolam vel pallium in vino sta-
tim moritur.

Christus lauabit stolam seu pallium in vino.
Ergo non statim inde morietur.

fall.
onsee

Responsio. 1. Est fall. Conseq. Mu-
tatur enim genus predicationis, quod in mi-
nori propositione est regulare: Inusitatum
vero in minore atq; intelligendum de filio
DEI. 2. Est fall. Phrasis in minore per si-
militudinem: Sicut enim calcans vinum,
conspergitur eo in vestimentis: Ita Chri-
stus flagellandus, & vulneribus afficiendus
erat, ut totus maderet, quemadmodum est
manifestum in historia passionis, ubi inter
alia dicitur: Ecce homo. Item, Esaia 53.
Adeò deformis erat, ut non aspiceremus eum.

Exactène demonstrant typi veteris tes-
tamenti passionem Christi?

Demonstrant, CONTRA.

Omnis similitudo claudicat

In typis

In typis veteris testamenti, est tantum similitudo Christi passionis.

Ergo illa claudicat, & P. C. passio Christi relinquitur in dubio.

Responsio. *Est fall. secundum Quid, maior intelligitur de similitudine absoluta: Minor vero de relativa. Nam illa similitudines in veteri testamento, ad id erant à DEO ordinatae ut significarent Christum moriturum & resurrecturum. Idem Christus ipsemet asserit in nouo testamento, testificans aneum serpentem denotasse Christum exaltandum in cruce. Ioh. 3. Fontem, Christum sepeliendum & resuscitandum tertia die, Matth. 12. Etiam si vero non in omnibus conuenire videantur: Tamen veritati diuinae eo se alliganti haud quaquam est reluctandum.*

Meritone offenduntur Iudæi in passione CHRISTI?

Nequaquam merito. CONTRA.

Gloriosè regnans nō contumeliosè patitur.

Messias describitur apud prophetas gloriosè regnans.

Ergo non consentaneū videtur ipsum contumeliosè passum, & P. C. meritò offenduntur passione Christi Iudæi.

C

Respons

Fall con

Responsio. Est fall. conseq. Maior enim non est distributiva vel uniuersaliter vera. Deinde minor est vera secundū quid. Diuidenda enim sunt dicta prophetarum, quorum alia loquuntur de regnante Christo, alia de humiliato & patiente. Exemplum est in Psal. 110. Dixit Dominus Domino meo, &c. Ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Item, De torrente in via bibet. Esaia 53. Propterea canit Ecclesia: Regnat de ligno DEVS.

Estne Christus ad quartū mundi milenarium, h. e. sub finem anni passus?

Est, anno scilicet mundi 3996. cum ingressus esset annum aetatis 34. 25. die Martij. CONTRA.

Patiens ab initio mundi, non adeo sub finē continuè pati potest.

Christus est passus seu maētatus ab initio mundi, Apocal. 13. cap.

Ergo non adeo sub finem mundi pati potuit.

Fall.

Responsio. 1. Est fall. Conseq. in Maiore, quæ est regularis eaq̄ applicatur ad irregularem, seu inusitatam potius in Minore, quæ loquitur de filio DEI.

2. Est

2. Est fall. equiuoc. in minoris vocabulo
mactatus. Alia enim mactatio est vera, alia
typica. Typice est Christus mactatus ab ini-
tuo mundi: Verè autem mactatus, seu passus
est, in completo humiliationis tempore.
Galat. 4.

3. Est fall. Phrasis ab initio mundi est ma-
ctatus, h. e. p̄ij mactationem Christi futurã
statim ab initio, promissionis de mulieris se-
mine, firma fiducia sibi applicarunt, quemad-
modum & nos prateritam. Ioh. 8. Abra-
ham vidit diem meum & letatus est. Esaiã
53. Vulneratus est propter peccata nostra.
Rom. 4. Christus mortuus est propter pec-
cata nostra.

Fuitne Christus reuera in magna cons-
tarnatione tempore passionis?

Fuit.

CONTRA.

Nemo constitutus in excellenti lætitia, po-
test simul esse in excellenti consternatione.

Christus conspiciens æternum patrem, etiã
ante glorificationem, semper fuit in excellenti
læticia.

Ergo tanta consternatio, qualem Euange-
listæ in historia passionis describunt, cadere in
eum haud potuit.

C 2

Respons

Fall. Diuisionis

Responsio. *Est fall. Diuisionis.* Discernendum enim est tempus passionis, ab eo, quod est extra passionem, ubi manet filius DEI in excellenti letitia, qualem etiam ante conditum mundum habuit. Iohan. 17. Illud autem tristissimum tempus destinatum fuerat passioni, in quo beatitudo & gloria non ita fulsit in filio, ut alias. Nunc enim quiescente natura diuina, & non exercente suam potentiam, iacet humiliatus, & ut tristissima voce dicitur: Percussus à DEO Esaia 53.

Verene DEVS Christus, tantopere angitur, ut testatur in historia passionis:

Imo verè sic angitur. CONTRA.

Sciens euentum, non potest tantoperè angide futuro exitu.

Christus sciuit euentum seu catastrophem latissimum, suæ passionis.

Ergo non potuit tantopere angiri, quasi in re dubia.

est fall.

Responsio. *Est fall. Cause in Minore.* Nam sepius euentum prosperrimum sciens, ob naturæ imbecillitatem tamen angitur, idq; tanto magis accidit in natura prestantiore.

iore. 2. In Minore est fall. conseq. siquidem refertur ad filium DEI, qui praestantissimam quidem naturam habuit, & inusitato modo, sustinens peccata totius mundi assumptae naturae infirmitatem, tamen intellexit, atq; nouit, quid esset ira DEI intensissime sustinere, sine auxilio diuino, quod simul implorauit in passionis anxietate.

Fuitne in Christo integra obedientia?

Fuit.

CONTRA.

Fugere mortem, quam DEVS decernit, est peccatum.

Christus trepidando in passione fugit mortem.

Ergo Christus peccauit, & P. C. non praestitit integram obedientiam sine peccato.

Responsio. Est fall. secundum quid, in Maiore. Qui enim inordinato modo, cum impatientia & indignatione, fugit impositam a DEO mortem, seu destructionem suae naturae, ille peccat. Deinde in Minore est fall. conseq. Eisi enim lucta Christi est quaedam trepidatio, siquidem uniuersaliter natura supra vires macerata gemit: Tamen dissimilis est haec trepidatio, seu hic gemitus in Christo & in ceteris hominibus. Christus

KATA T.

G 3

fert

fert terrores ob peccata totius mundi, sine indignatione contra patrem, & agnoscit esse obædiendum Patri, & constanter retinet hoc propositum obtemperandi DEO.

Obtemperavitne Christus, seu dilexit Deum patrem, ex toto corde, & omnibus viribus?

Obtemperavit & dilexit. CONTRA.

Cupiens auferri id, quod irrogat DEVS, peccat.

Christus cupit à se auferri calicem irrogatum à DEO patre.

Ergo peccat: & P. C. non obtemperat nec diligit Deum ex toto corde & omnibus viribus.

Responsio. 1. Est fall. secundum quid in Maiore. Si videlicet modo inordinato & fremitu, impatientia seu indignatione contra DEVM, id ipsum quis cupiat, gravissimè peccat.

2. Est fall. Diuisionis. Christus cupit non inordinato seu licito potius modo, siquidem voluntati diuine se subijcit, sustinens sine indignatione ea, quæ sunt humane nature propria. Nam dicit: Non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Ad Maiorem intellectum huius argumenti, obseruentur hoc loco gradus na-

rurales appetitionum in homine 1. Est ap-
petitio cibi & potus, seu famis, seu sitis. 2.
Sensus nervorum & dolorū, in lateratione
corporis. 3. Affectus cordis in mæstitia, tri-
stia. 4. Voluntas auersans mala, & pro-
bans bona. Hi omnes gradus conspiciuntur
in patiente Christo. Sed ordinati & quidem
tales, qui sunt sine peccato, nec ruentes ex-
tra legem DEI, manent harmonia seu con-
cruentia cum DEO.

Simulauitne Christus petitionem, qua
rogauit se liberari ex morte?

Non, sed verè id petijt. CONTRA.

Omnis petens ab alio, id, quod habet in sua
potestate, simulat petitionem,

Christus habet potestatem ponendi, & ruro-
sus sumendi animam suam. Ioh. 10.

Ergo simulat eam petitionem liberationis,
& P. C. tota actio passionis est simulata.

Responsio. 1. Est fall. secundum quid
in Maiore. Nam ita sæpè accidere solet in-
ter homines, ut petitionem simulent, maxi-
mè si eam habeant in potestate: Quamuis
etiam multi nomine tantum, & non quog-
re ipsa, possessores rerum mundi dicantur.

2. Est fall. Phrasis in Minore, quæ non con-

tradietoriam confirmat cum precatone ante agonem. Siquidem sententia est: Etsi moriar pro hominibus: Tamen volens id faciam. Nullius enim creatura potentia, vi mihi animam eripere potest. Et quanquam verè DEVS est: Tamen & antea, & instante passione ardentissimè est precatus.

- 1. Ut monstraret discrimen inter se, tanquã personã missam, & patrem mittentem.*
- 2. Ut significaret aliud tempus esse humiliationis, aliud glorificationis.*
- 3. Ut ostenderet, se non tantum sacrificio sed ardenti precatone pontificem esse suæ Ecclesiæ.*
- 4. Ut exemplo suo alios ad precandum suscitans, de exauditione confirmaret.*

Merito ne Christus dolet magis, quàm alij Martyres?

Merito, id facit. CONTRA.

Magis fortis, minus dolet.

Christus est fortissimus martyr, siquidè in eo summa virtutum est perfectio.

Ergo minus debebat dolore.

Responsio. *1. Concedo Maiorem regulariter, quando causa & obiecta dolorum sunt paria.*

2. Minori

2. *Minori quoque non repugno, quatenus approbatur, Christum esse fortio- rem omnibus martyribus. Ipse enim est Gygas ille fortis- simus geminae substantiae, conceptus de S. S. natus de virgine, praeter naturae ordinem. Item, est DEVS verus, de DEO vero, & lux vera illuminans omnem hominem, ve- nientem in hunc mundum. Ergitur eius for- titudo superat omnem fortitudinem marty- rum, ab hoc unico accipientium omnem vir- tutis vigorem.*

3. *Applicatio conclusionis siue collatio do- lorum, est diuersa & dissimilis. Martyres perferunt cruciatus corporum, ab hominibus tantum illatos, & in medijs doloribus seu morte sentiunt praesentiam DEI, consola- tionem & initium vitae aeternae. At Chri- stus sentiens summos cruciatus in corpore & anima, a DEO ipso percutitur, ut creden- tibus in ipsum parcatur. Accedit & hoc, 1. Quod videt suam gentem interituram esse. 2. Quod maxima pars generis huma- ni ingrata sit futura, pro hoc tanto redem- tionis opere. 3. Singula omnium peccata, au- gent in eo dolorem tantum, quantum nulla creatura sustinere potuisset.*

C 5

Estne

Estne Iudæorum voluntas de interficiendo CHRISTO bona?

Non est.

CONTRA.

Voluntas congruens cum diuina, est bona.
At Iudæorum voluntas congruit cū diuina,
quidem DEVS mortem filij volebat. Psal. 40.
Ergo Iudæorum Voluntas est bona.

Responsio. I. *Est fall. secundum quid in maiore, que tum demum vera est, cum voluntas nostra congruit cum Voluntate diuina, iuxta omnes causas. 2. Est fall. cause in minore. DEI enim & Iudæorum voluntas, ex diametro pugnant. Nam*

I. *Impulsiva DEI, est immensa misericordia, erga genus humanum, & ipsa filij intercessio, qui se obtulit ad pœnam pro nobis luendam. Iudæorum vero est infensissimum odium aduersus Christum.*

II. *Formale in DEO est obœdientia filij: Iudæorum vero est cruciatus & laceratio, quam vellent esse æternam.*

III. *Finalis DEI est, ut hac Christi obœdientia, ira DEI placata, satis fiat iusticie diuine, & Christus reuiuiscens regnet, ad dexteram æterni patris, in æternum: Iudæorum vero, ut tollatur funditus doctrina & gloria Christi.*

Malene

Malene fecit CHRISTVS non directè
respondens summo pontifici de
doctrina & discipulis.

Nequaquam.

CONTRA-

Subterfugiens confessionem interrogati
de doctrina malè faciunt, idè contra dictum.
1. Pet: 2. Estote parati ad respondendum cui
libet petenti rationem eius spei, quæ in vobis
est.

Christus obliquè respondens interroganti-
bus de doctrina & discipulis Ioh. 18. Videtur
subterfugere confessionem.

Ergo malè facit.

*Responsio. 1. Est fall. secundum quid.
in Maiore. Nam ea vera est de ijs, qui nun-
quam antea ediderunt manifestam confes-
sionem, atq; ibi tum interrogati, nisi respon-
deant malè faciunt. 2. In Minore est fal-
lacia cause. Christus enim antea confessus
est palam se esse Messiam & Filium DEI.
In verbis vero: quid me interrogas, accu-
sat grauitè pontificis summi tyrannidem,
quod legitimum iudicij ordinè violans, non
discernat manifestarum causarum condem-
nationem, ab inquisitione arcanarum, in qua
fraterna admonitio precedere solet.*

Fecitne

Fecitne Christus malè repugnans seruo colaphum sibi infringenti?
Nequaquam. CONTRA.

Repugnans suo ipsius præcepto, malè facit.
Christus exostulans & litigans cum seruo, à quo acceperat colaphos in passione, pugnat cum suo ipsius præcepto, Math. 5. Si quis percusserit te in dextram maxillam, obuerte ei alteram.

Ergo malè facit.

Responsio. Est fall. secundum quid. Maior intelligatur de inconsiderata repugnatione. In Minore est fall. causa. Licet enim exostulet cum seruo: tamen non repugnat suo præcepto, nec malè facit. Etenim 1. corrigit serui seuitiam, qui veritatem dicenti resistit. 2. Ostendit falsam & iniustam aduersariorum causam, præsertim in religione, non esse silentio prætereundam, ne illi ipsi in malo confirmantur, sed eandem candidè esse præcidendam & reijciendam. 3. Nihilominus quilibet paratus seu fortis esse debet, ad perferendã violentiam mundi, iuxta D. Petri præceptum: Estote patientes ubi opus est.

Quieuitne Christus verè in sepulchro,
iuxta diuinas prædictiones?

Quies

Quieuit.

CONTRA.

Quicumq; euentus diuersus est à prædictionibus diuinis pro falso habetur.

Quies filij DEI in sepulchro diuersa est à prædictione Christi, Matth. 12. Sic enim tribus diebus, & tribus noctibus, non integrè fuit in sepulchro.

Ergo illa pro falsa habetur & P. C. tota passio fit dubia.

Responsio. *Est fall. secundum quid, in Minore, quæ per synechdochen intelligitur. Etsi enim non sunt integri singuli dies, huius tridui: Tamen parte aliqua singulorum iacuit in sepulchro. Nam hora nona, qua nobis est tertia pomeridiana, depositum est corpus Christi in sepulchrum: Parte igitur aliqua sexti diei fuit in sepulchro, sequentis vero diei spacium est à Vespera sexti diei, ad vesperam septimi, qui integer est. Tertius dies inchoatur vespere post meridiem Sabbathi. Fuitq; corpus in sepulchro eo vespere & nocte, & aurora tempore, qua noctem illam secuta est, ita etiam bona pars tertij diei comprehensa, consumitur.*

Recita breuiter doctrinas ex quiete
CHRISTI in sepulchro?

Quienit

Quienit Christus toto die Sabbathi, 1. Ut significaret se verè esse victimam pro nobis. 2. Absorptus fuit ab ira DEI in sepulchrum usq̃, ne ea nos absorberet. 3. In tribulationibus & ærumnis discamus Sabbathum hoc seruare, cum filio DEI, quiescentes in ipso DEO, 4. In agone imò in morte nostra consolemur nos eo modo, intuentes hunc Dominum iacentem in sepulchro, & postea resurgentem.

Potestne iterum conuerti & purgari denuo sanguine CHRISTI amittens gratiam post conuersionem?

Potest.

CONTRA.

Semel profusum, semel tantum purgat.
Sanguis CHRISTI semel est profusus.

Ergo tantum semel purgat, & P.C. amittens post conuersionem gratiam, purgari seu conuerti non potest.

Responsio. Est Donatistarum argumentum. Sed N. C. & R. E. quia est fallax Consequentis. Maior enim falsa est, & potissimum de rebus perfectis ac insigni efficacia & dignitate præclaris. Plenius enim perfectiusq̃, semel profusum, vel satisfactum, non indiget iteratione satisfactionis. Ebr. 9.

Introuit

Introuit semel in sancta, aeterna redem-
tione inuenta. Minor conceditur tota, de
quantitate, sed non de qualitate, intra li-
mites exiguos continente infinitam sangui-
nis Christi dignitatem, efficaciam atq; utilita-
tatem. Conclusio cum annexo consequente
refutatur à Christo Matth. 18. Non remit-
tendum est tantum septies, sed septuagies
septies. Exemplo sunt Dauid, Manasses,
Magdalena, Latro in cruce, Hinc dicit
Augustinus: Pœnitentia vera, nunquam
sera, sed sera raro vera. Sedulo igitur est
cauendum, ne quis malo & assuetis proposito
abutatur hac inexhausta gratia, & deniq;
omnino exclusus à facie DEI tanquam in-
dignus in æternum abiiciatur. Locum Ebr.
6. intelligimus de pertinaci blasphemia in
CHRISTVM, & extrema desperatione.
Exemplo est Michael Seruetus.

Potestne sanguis CHRISTI æquè omnes
purgare ab omnibus peccatis, respic-
ciendo paucitatem Electorum?

Potest **CONTRA.**

Decretum DEI est immutabile.

Quosdam destinari ad damnationem inea-
uitabilem, quosdam vero ad salutem, est decre-
tum DEI æternum.

Ergo

Ergo illud est immutabile, & P. C. Iesu Christo
sanguis, non æquè omnes purgare potest, ab
omnibus peccatis.

*Responsio. Stoicum hoc est argumen-
tum, sed N. C. & R. E. quia est fall. secun-
dum non causam ut causam, in Minore, Dam-
nationis illa destinatio non pendet à DEO,
sed corruptione potius animi humani, qui
prauè edoctus, & malè confirmatus semper
in deteriore partem delabitur, donec odio
atq; auxilio Diaboli, adigatur ad finalem de-
sperationem: imò exclusionem atq; expul-
sionem è regno DEI, iuxta dictum, Luc. 11.
Qui non est mecum, contra me est. Gal. 5.
Caro semper reluctatur Spiritui. Osee 13.
Perditio tua ex te Israel. Vincens vero car-
nis difficultatem, fide sibi applicat ipsissimū
decretum aeternum, quod est de uniuersali
omnium hominum saluatione, patefacta in
verbo reuelato. Ezech. 33. Viuo ego, nolo
mortem peccatoris. Matth. 11. Venite ad
me omnes. Jn 1. ad Timoth. 2. DEVS
vult omnes homines saluos fieri, & ad agni-
tionem veritatis peruenire. Hoc igitur de-
cretum sibi applicantes firma fiducia iuxta
immutabile DEI consilium, verè purgan-
tur*

pur sanguine J. C. ab omnibus peccatis. J.
Ioh. J. Sanguis J. C. filij DEI, emundat nos
ab omni peccato. Reliqui sese excludentes
pertinacia & malitia sua, incurrunt itidem
in decretum immutabile damnationis, ob
contemptum promissionis gratuita, & men-
daciij irrogationem in verba DEI, eiusq;
misericordiam ineffabilem.

Sentiuntne Papistæ rectè, de
passione CHRISTI,

Non. CONTRA.

Omnes loquentes, imo aspicientes & ado-
rantes passum Christum, rectè sentiunt.

Papistæ loquuntur, imo aspicientes adorant
passum CHRISTVM.

Ergo de eo, eiusq; passione rectè sentiunt.

Responsio. 1. Est fall. Conseq. in Ma-
iore, que non est completè uniuersalis, seu
distributiuæ. 2. In Minore est fall. causa:
Etiam si enim loquantur, intueantur & ado-
rent CHRISTVM passum: Tamen plenã
fiduciam in eum non ponunt, siquidem pas-
sionem seu meritum eius aestimant, pro in-
sufficienti x̄t̄ḡo iustificationis, eamq; ex
parte opera nostra mereri affirmant. 3. Preæ-
missis potest dari instantia: Simulantes

D

enim

enim pietatem sæpè optimè loquuntur de religione, atq; idem gestibus aptè exprimunt, intuendo imagines, & congruè orando, & tamen sæpe numero, licet DEVM longanimum, fallere nequeant, homines nihilominus decipiunt.

Sufficitne purgatio CHRISTI sanguinis ad iustificationem &

Sufficit. CONTRA.

Si homo iustificatur operibus & non fide tantum, sanguis CHRISTI non sufficiet ad iustificationem seu purgationem à peccatis. Sed antecedens est manifestum ex Iacobi 2. cap.

Ergo & consequens verum erit necessario.

*Fall.
approximationis*

Responsio. Est fall. Aequiuoc. in principalibus partibus antecedentis, ut sunt, iustificatur operibus, & Fides. Fides apud Iacobum significat tantum notitiam historie, qua absoluta, nemo potest iustificari. Ex operibus iustificari, non significat iustificari, sed approbari coram DEO & hominibus propter fructus fidem consequentes. Vera autè fides, non tantum in noticia historie consistit: Verum 1. In desiderio ardenti remissionis peccatorum & vitæ aeternæ iuxta promissiones, 2. In assensu certo statuente remissa

missa nobis esse peccata & donatam vitam
aeternam. 3. In firma fiducia coram acqui-
escentis, DEVM nobis propitium propter
CHRISTI obedientiam. Hac fides saepe
erigitur & confirmatur applicatione Christi
sanguinis, cum in verbo, tum sacramentis.
Quod papistae extruunt opera concurrere in
conuersione hominis falsum est, si quidem
homo totus est corruptus, nec ullum opus
facere possit, quod gratum sit DEO, nisi
ablutus sanguine veram habeat fidem, qua
necessario deinde comitantur fructus nouae
obedientiae, nihil omnino tamen comeren-
tes in iustificatione. Quod ipsi vero inter
causas iustificationis opera referant, faciunt
id potius sui commodi causa, quam salutis
hominum, & propter hanc infidelitatem
vel potius auaritiam, merito
sunt auersandi.

D 2

EXPLI-

EXPLICATIO
VEL POTIVS DISPOSITIO
A V R E Æ S E N
T E N T I Æ, D E P A S
S I O N E F I L I I D E I,
ex prima Iohannis
Primo.

Ὁ αἷμα ἰησοῦ χριστοῦ ἡσ τὸ θεοῦ καὶ ἰσὶ
ἡμᾶς, ἀπὸ πάσης τῆς ἁμαρτίας. h. e.

Sanguis IESV CHRISTI FILII
DEI, emundat nos ab omni peccato.

Das Blut IESV CHRISTI
des Sohnes Gottes / reiniget vns / von
aller Sünde.

Quæ est sententiæ S V M M A ?

*Sententia Iohannis Evangelistæ pariter,
ac Apostoli, loquitur de dignitate, atq; effi-
cacia, seu utilitate, sanguis IESV CHRI-
STI, veræ victimæ, quod nimirum, ille so-
lus purgans, emundet nos credentes à teter-
rimis omnium peccatorum sordibus.*

Recense Occasionem ?

J. Heres

1. *Heresis Cherinti, Menandri atq;
Ebionis oppugnans Christi partim perso-
nam in diuinitate & humanitate, partim
officium regium & sacerdotium, redd. de-
rat contemptum Christi sanguinem, & addu-
xerat in multis simulatam hypocrisin. Hanc
perniciosam extenuationem refutat Iohan-
nes, tanquam is, qui verbum vitæ palpaue-
rat, & cum Maria ad crucem astans, vide-
rat sanguinem & aquam, ex Christi latere
fluitantem.*

2. *Cum etiam Papistæ ac alij hostes, Chri-
sti sanguinem attenuent, merito eius digni-
tas atq; utilitas, hac sententia pijs commen-
data exornatur.*

Diuide hanc sententiam ?

*Dua sunt partes sententiæ. Prior est de
dignitate, atq; insigni efficacia, sanguinis
CHRISTI, quod nimirum habeat singula-
rem vim purgandi & sanctificandi, Altera
de obiecto in quod, & quantum sese hac pur-
gatio extendat: In totum videlicet genus
humanum eiusq; peccatum uniuersum, sin-
gulorum credentium.*

Explica breuiter priorem partem ?

D 3

Ad prio-

Ad prioris intellectum pleniorē, tres
sunt obseruande circumstantia. 1. Sanguinis.
2. Personae IESV CHRISTI. 3. Purga-
tionis. Idq; iuxta verba textus, Sanguis
IESV CHRISTI purgat. PRIMO.
Sanguis alius est gratus atq; acceptus DEO,
alius vero ingratus. 1. Ingratus est 1. Hy-
pocritarum & papistarum, qui excæcati pro-
prio commodo veram salutis viam neglexe-
runt, & suum errorem sanguine coacti sepe
confirmarunt. Tales fuerunt Baalita, quo-
rum sanguinem copiosum profudit Elias
propheta, concitatus contra eos singulari Ze-
lo. 3. Reg. 18. Item Iudæi, Papista, Maho-
metista, &c. obfirmantes etiam sanguine
pertinaciam suam in contumeliam Filij
DEI. 2. Sanguis reatus peccatorum, de quo
extat Psal. 51. Libera me de sanguinibus,
h. e. à cædis reatu. Iste, iniquitas dicitur
seu reatus, quia fit per sanguinem, sicut lin-
gua locutio dicitur, quia fit per linguam, te-
ste Augustino. Hic tamen conciliatur DEO,
sanguine Christi. Rom. 3. Iustificamur Gra-
tus, per fidem in sanguine. Eph. 2. Apoc. 1.
3. Sanguis pœne peccati, cuius effusionem
mors comitatur iuxta comminationē, Gen. 2
Quo unq;

Quocunq; die comederis, morte morieris.
Matth. 27. Sanguis eius super nos, & super
filios nostros. Gen. 9. Quicunq; fuderit hu-
manum sanguinem, sanguis eius effundetur
per hominem. Sed cum DEVS nolit mor-
tem peccatoris Ezech. 18. & 33. opponitur
huic Christi satisfactio: ad Ephesios 1. In
quo habemus redemptionem per sanguinē ip-
sius, seruabimur per ipsum ab ira.

1. Gratus DEO sanguis est. 1. Marty-
rum, qui ob confessionem nominis diuini, &
sanguinem suum profunderē & mori de-
buerunt. Vt 1. Abel. Gen. 4. 2. Prophetę
& Apostoli multi cum pijs verbi ministris,
vt sunt Esaias, Feremias, Iohannes Bapti-
sta, Petrus, Paulus, &c. Iohannes Hus. 3.
Alij pijs Christiani occisi sub Herode Anti-
ocho, Decio, Iuliano, & ceteris tyrannis,
vsq; ad nostra tempora. 2. Typicus sanguis
hostiarum oblatuſ secundum DEI manda-
tum & Legem Moysis, durans vsq; ad natū
Christum scilicet 1. Sacrificiū Abelis, & se-
quentium patrum, Abrahe, Iſaaci, & Iaco-
bi. 2. Agni paschalis maſtatio. Exod. 12.
3. Viſtima sacerdotis, ingredientis in san-
ctum sanctorum. 4. Viſtima Vacca rufa. 5.

D 4

Passa-

Passerum & turturum. 3. Hæ umbra
significarunt verum λύτρον Christum Iesum
Hebr. 9. Per proprium sanguinem intrauit
semel in sancta sanctorum, æternam redem-
tionem nactus. Col. 1. 2 Cor. 5. Act. 20.
Augustinus: Sanguis Christi, redemptio est
totius mundi. Bernhardus. Vox sangui-
nis Christi inualuit plus, quam vox sangui-
nis Abel, clamans in cordibus electorum re-
missionem peccatorum. Ambrosius. Sanguis
Christi purpura est, inficiens sanctorum ani-
mas, nec solum colore resplendens, sed etiam
potestate, qua reges facit, & meliores mun-
danis, quibus regnum DEVS donet æter-
num. Doctrinæ 1. Omnis sanguis est
DEO inuisus, nisi hoc Christi sanguine con-
cilietur & sanctificetur. 2. Plerisque rebus,
sanguis est adhibitus in veteri testamento.
3. Omnes typi veteris testamenti, hunc uni-
cum Christi sanguinem respexerunt, atque
inde gratus odor, DEO fuerunt. Cons-
olatio 1. Est ingens DEI beneficiū quod
nos in huius veri sanguinis agnitione, con-
scij acquiescere possimus. 2. Noster etiam
sanguis, quamuis profunderetur ob verita-
tis & fidei confessionem, DEO gratus atque
acceptus

Amb

acceptus esset, propter hunc solum sanguinem Jesu Christi.

SECUNDO. IESU CHRISTI. Hic denotatur persona omnipotens, & dignissima, sanguinem suum effundens, quæ est sacerdos rex & mediator inter DEVM ac hominē. Ea vero dicitur & eſt Filius DEI naturalis, habens potestatem nos adoptandi, atq; adſciſcendi in filios DEI. Joh. 1. & suos fratres, Joh. 20. Vocabulum IESVS interpretatur Angelus, Math. 1. Saluum faciet populum à peccatis. Eſt, vel ipsum nomen IEHOVAH, quod eſt diuina eſſentia proprium, & ſignificat DEVM, qui verè aliquid exiſtens eſt. Fuit ab æterno, atq; erit in omnem æternitatem, & cuncta omnipotentia ſuo ſolus benè efficit, effecit atq; efficiet iuxta promiſſionem: Vel inde ad minimum deducitur parua commutatione. Dicitur vero ſaluator duplici reſpectu 1. Mirande gubernationis & deſenſionis Eccleſie in hac vita. 2. Reſpectu finalis liberationis & glorificationis in Eccleſia, poſt reſurrectionem eiſdem ex mortuis. Conferatur, hic cum ſaluatoribus mundanis, quales fuerunt: Gideon, Iofua, Iephtah, Simſon, &c.

D 5

Eiuſ-

Eiusmodi saluatorem decebat 1. esse fortem.
2. Habere legitimam vocationem. 3. Sus-
cipere defensionem subditorum. 4. Congre-
di cum hostibus, eosq; vincere. 5. Vindica-
re libertatem. 6. Audire subditos, eosq; de-
fendere aduersus hostium tyrannidem. 7.
Distribuere spolia. 8. Possessiones attribu-
ere subditis atq; eos ita tandem recreare.
Eodem modo IEHOSVAH seu IESVS no-
ster est 1. Fortissimus ille Gygas geminae
substantiae, seu Heros ac DEVS fortis, Esa.
9. imo IEHOVAH iusticiae nostrae. Jere. 23.
2. Vocatus est à patre caelesti ab aeterno im-
mediatè Psal. 2. Michea 5. In baptismo.
Matth. 3. 3. Defendit imbecillem Eccle-
siae cœtum, aduersus Diabolum, infernum,
mundum, &c. tanquam pastor oues contra
Lupos, Joh. 10. 4. Congreditur cum Dia-
bolo. Matth. 4. Morte, Marci 14. eamq; mo-
riendo & resurgendo, Vincit. Osea 9. 5.
Liberat credentes à rigore legis, tyrannide
Diaboli, & morte aeterna. 6. Audit pre-
ces & scit gemitus nostros, Esaia 65. An-
tequam clamabunt audia. Joh. 14. Quic-
quid petieritis in nomine meo faciam. 7.
Munit nos sua potentia, tam mediata, quam
imme-

immediata. Immediata Rom. 8. Si DEVS
pro nobis, quis contra nos. Mediata presi-
dio angelorum, Psal. 90 Hebr. 1. 8. Dis-
tribuit & dat dona hominibus. Marc. 16.
9. Hospitia suppediat Ecclesie. Esaia 49. &
tandem eam donat possessione beatissima vi-
tæ aeternæ. Esaia 64. Joh. 3. 6. 10. Quam-
uis autem hic saluator in multis conueniat
cum saluatoribus mundi: Tamen in pluri-
bus etiam discrepat, siquidem illi omnem
gratiam, fortitudinem, felicitatem, &c. ab
hoc unico saluatore, tanquam fonte & uero
IOSVA imo IEHOVA ipso, fuerunt ade-
pti. Præterea, quod hac persona effundens
sanguinem sit SACERDOS, REX, &
MEDIATOR comprehenditur in nomi-
ne CHRISTI SEV MESSIÆ, qui la-
tinis est unctus. Sicut uero reges & Sacer-
dotes in veteri testamento, ungebantur
Balsamo: Ita Christus Spiritu Sancto ab
aeterno est unctus præ consortibus. Psal. 45.
2. 110, ut esset summus sacerdos & Rex
Ecclesie, Item, Mediator inter DEVM
& hominem. 1. SACERDOTIS summi
officia erant. 1. Docere uerbum DEI. 2.
Sacrificare. 3. Orare. 4. Benedicere. Ita
CHRISTUS

CHRISTVS. 1. Patefacit Euangelium generi humano. 2. Suo sacrificio iram DEI placat. 3. Intercedit pro nobis, apud eternum Patrem. 4. Exhibet bona promissa in nouo testamento, ut scribitur in epistola ad Ebraeos.

II. REGIS officia sunt. 1. Acquirere sibi regnum, 2. Liberare subditos ex potestate hostium. 3. Regere eos certis legibus. 4. Defendere bonos ab iniurijs malorum eorumq; causam audire. Ita Christus 1. Colligit sibi Ecclesiam ministerio Euangelij. 2. Liberat eam a peccato, Diabolo & inferno. 3. Regit, voce legis & Euangelij, eamq; sanctificat. 4. Defendit mirabiliter, atq; exaudit verè inuocantes. 5. Resuscitat ex morte ad vitam eternam.

III. MEDIATORIS officia sunt, 1. scire consilia utriusq; partis delitigantis. 2. Conciliare discordes atq; in primis partem magis lesam. 3. Frangere & contumeliam sustinere & perpeti disceptantium. 4. Consolari imbecilliozem. ITA 1. Christus scit arcanum DEI consilium & humanam imbecillitatem. 2. Stat inter DEVM & hominem, & precipuè demulcet iram offensi
DEI.

DEI. 3. Deriuat in se ipsam DEI iram
& mortis contumeliam. 4. Consolatur nos
imbecilles Spiritu sancto.

IIII. Merito igitur hic Mediator est
DEVS & homo. Et I. DEVS quidem
1. Quia infinitus peccati reatus infinitum
seu aequiualens $\lambda\upsilon\tau\epsilon\sigma\omicron\upsilon$ postulauit. 2. Homo
solus non potuisset iram DEI sustinere, eiq;
insuper laudem iustitiae tribuere. 3. Homo
solus non potuisset vincere mortem, & re-
stituere iustitiam & vitam eternam. 4.
Mediatoris est semper & ubiq; presentem
esse Ecclesiae eamq; contra omnes, & eos va-
rios defendere Tyrannos. 5. Mediatorem
oportet esse $\kappa\alpha\theta\omicron\iota\omicron\gamma\upsilon\omega\sigma\eta\mu$, atq; intelligere ge-
mitus, imò intima cordium suspiria, quod so-
lius DEI proprium est. II. HOMO est
sequentibus de causis 1. Transgressio in car-
ne commissa, in eadem, tamen à peccatis im-
muni, ob normam iustitiae diuinae, erat re-
sarcienda. 2. Vt pueros sibi datos, habentesq;
carnem & sanguinem, similiter in carne &
sanguine redimeret, atq; aboleret mortem,
& Diaboli potestatem. Esaiæ 8. Ebr. 2. 3.
Ut per omnia similis esset fratribus in $\sigma\upsilon\mu-
\omega\theta\epsilon\iota\alpha$ siue affectione, misericordiae & fides
litatis

litatis causa, Ebr. 2. 4. Necesse fuit ut natura humana nobis coniungeretur, tanquam Mediator & frater. 5. Ut carnis eius resuscitatio & glorificatio, nostra carnis resuscitande, & glorificande esset argumentum.

V. Vnam personam Mediator in duabus naturis habere debuit. 1. Ut esset vnus mediator DEI & hominum, homo CHRISTVS IESVS. 2. Ut mediator societate coniungeret aduersas partes, DEI, & hominis, quam habuit cum vtrisque, ut opera Mediatoris in humana natura perfecta fierent infinita virtutis coram lesa infiniti DEI Maestate. DOCTRINÆ ET CONSOLATIONES. Ex his omnibus colligere licet. 1. Dignitatem infinitam & perfectionem absolutissimam, imò inestimabile precium esse sanguinis IESV CHRISTI. 2. Aduocatum nostrum, scire & compatium nostris infirmitatibus, suo tempore immutandis. 3. Quia est DEVS, infinita eius est potestas aduersus Diabolum, mortem & omnes inferorum portas. 4. Infinita etiam efficacia sanguinis tantæ personæ in omnes credentes promanat. Cyrillus. Cū, qui ex DEO est, carne assumpta, posuit pro nobis

Vf,

nobis suum sanguinem, certe purgare potest
credentes in ipsum, & à mortuis operibus
liberare, & adducere in obsequium DEO.
Bernhardus. Magnitudine precij, magni-
tudinem delicti agnosco: Grauis casus ani-
mae, qui non potuit, nisi morte IESV
CHRISTI expiari. Augustinus. Non
possum terreri multitudine peccatorum meo-
rum, quoties mihi mors Christi in mentem
venit. FILII DEI ἑξερυσία τῆς ὀξιοτήτος
expolitio, & plenior comprobatio est perso-
nae dignissima, modo nomine proprio desig-
nata, nunc vero & appellatio seu originalis
exornata. Nam si mens haecenus tamen
dubitasset, tanta utilitatum dignitatumque
pondera latere in nomine IESV CHR-
ISTI augustissimo, eadem ex denominatione
generaliori plenius percipere posset. Etenim
FILIVS DEI est natura DEVS, atque
adeo omnipotens & dignissimus in caelo &
in terra. Act. 10. Philip. 2. IESVS
CHRISTVS autem pro nobis effundens
suum sanguinem, est ipsissimus FILIVS
DEI. Erit ergo natura DEVS omnipo-
tens & dignissimus. FILII vero natura-
lis proprietates obseruentur sex praecipue. 1.
Esse

Esse distinctam personam à Patre suo. 2. Esse
eiusdem essentia cum patre. 3. Longè di-
stinctum à filiis adoptiuis. 4. Esse heredem
omnium bonorū paternorum. 5. Possesse etiam
sibi adoptare filios, præsertim in bonorum
copia. 6. Patrem quoq; esse posse respectu
adoptiuorum suorumq; filiorum. **ITA FI-
LIUS DEI 1.** Est secunda persona Diui-
nitatis à patre cœlesti ab aeterno genita, &
per se ἰφιστάμενον seu existens indiuiduum.
Nam ita differt à Patre & Spiritu sancto,
interiori nimirum proprietate, quod ille
gignat filium, hic vero procedat ab utroq;
nec Pater sit Filius, aut Spiritus S. pater
contra Samosatenos, & Patripassianos. 2.
Est ὁμοῦσι & consubstantialis Patri, ex cuius
essentia est genitus ab aeterno, contra Aria-
nos veteres & recentiores. 3. Christus est
unicus DEI filius, ab omnibus adoptiuis
longissimè discretus. Alij enim non sunt
aeterno Patri consubstantiales, sed accepti modo
DEO redditi, FIDE in Christo. Joh. 1.
4. Pro hereditate est data Christo omnis po-
testas in cœlo & in terra, Matth. 28. Psal.
2. Gentes & termini terræ Filij DEI ha-
reditas. 5. Omnibus credentibus in nomen
eius

eius dat potestatem filios DEI fieri. Joh. 1.
6. Paternum affectum gerit erga nos cre-
dentes, Psal. 103. Sicut miseretur Pater
filiorum, ita misertus est Dominus nostri.
DOCTRINÆ J. FILIVS DEI est vere
Deus omnipotens. 2. Habet potestatem im-
mensam, & potissimum ad discendi nos in
DEI filios & fratres suos, & praesertim
cum possideat tam amplam hereditatem cæ-
li & terra. Eam vero potestatem ingenti
amore & desiderio comprobavit suo precioso
sanguine, quem nos firma fiducia nobis ap-
plicare oportet conijcientes nos totos in vul-
nera eius. Bernhardus. In vulnera IESU
CHRISTI, ego & me, & opera mea,
FIDE colloco. 3. Erigamus nos in tenta-
tionibus sōg^h Christi, seu affectione eius
paterna, atq; eam pro consolatione firmissima
habeamus. Esaiæ 46. Vsq; ad senectutem ego
ipse, & vsq; ad canos ego portabo & saluabo.
Idem 49. Ego tui non obliuiscar: Ecce in
manibus meis scripsi te, & muros tuos

TERTIO. PURGAT Christi sang-
guis. Hactenus commendata est dignitas
sanguinis, à personæ eminentia: Nunc ex-
primitur efficacia eiusdem, quod videlicet

E

miram

miram habeat vim purgandi omnes creden-
tes à sordibus peccatorum teterrimis, eosq̃
iustificandi coram DEO. Obseruentur au-
tem hoc loco Synonyma, qualia sunt, purgare,
abluere, lauare, mundare, iustificare, salua-
re, liberare à peccatis, conciliare DEO; &c.
Ad pleniorum intellectum considerentur
sequentia quatuor ceu sunt, I. TYPICA
purgatio descripta in ceremonijs Mosais,
quæ multipliciter est transacta. 1. Abluen-
do pedes, manus, & totum corpus, id quod
testantur hydria posita in Cana Galilæa, Ioh.
2. Tale exemplum legitur 4. Reg. 5. De
Naemano, leproso, in Iordane se lauante septi-
cies, ad mandatũ Prophetæ Elise. 2. Abluen-
do vestimenta, ministerio impuriore inqui-
nata, vel contactu prohibito, utpote cadaue-
re: vel contagio contaminata. 3. Domi la-
tendo & sistendo se sacerdoti, iuxta legem
Moysis, de puerperis. Leuit. 12. Luca 2. Hæ
& similes purgationes commonefaciebant
Iudeos de peccatis, & sanguine immaculati
agni, quem intellexit, atq̃ respexit prophe-
ta David orans in Psalmo 51. Amplius la-
ua me ab omni iniquitate mea, & à peccato
meo munda me, Hunc sensum prætereun-
tes, &

res, & modo externum ritū, ad alias quoq;
gentes iam tandem propagatum obseruan-
tes, reprehendit Christus grauiter, Mat. 23.

II. VERA purgatio est completa in
CHRISTO IESU, qui in se credentes,
suo sanguine profuso, solus abluuit Esaia 1. Si
Peccata vestra fuerint vt Coccinum, veluti
nix albescent. Matth. 26. Hic est sanguis
noui testamenti, qui pro nobis effunditur,
in remissionem peccatorum. Apocal. 1. Qui
lauit nos per sanguinem suum. Joh. 13. Si
non lauero te, non habes partem mecum, in-
quit Christus ad Petrum. Abluimur ergo

I. Exterius I. Manibus, vt eas cohibea-
mus à cadibus, libidine, furto, & alia iniu-
sticia. 2. Pedibus, vt illis incedendo vite-
mus occasiones peccandi. 3. Oculis & capite,
vt prauas cogitationes, libidinosos ac vanos
intuitus excutiamus. 4. Toto corpore, vt
nulla parte immundi & peccatorum mini-
stri, contra externam Decalogi disciplinam
reperiamur. II. Interius I. affectibus cor-
dis, ne illis contra DEI precepta abutamur
maximè in disciplina totius Decalogi inte-
riore. 2. Sermone, ne in blasphemia contra
DEVM, & calumnia in proximum, hor-
ribili-

ribiliter detineamur. 3. Conscientia, ne ea
tanquam verme, nunquam intermoriente,
arrosi cruciemur. Talis vero ablutio, est ab-
soluta morte & resurrectione CHRISTI.
Rom. 4. Christus mortuus est propter pecca-
ta nostra, & resurrexit propter iusticiam
nostram. III. NECESSARIA hæc pur-
gatio est propter iustificationem nostram.
Etenim nisi homo ita purgatus mundatusq;
fuerit, coram DEO consistere haud poterit.

quod re
H-
Dupliciter vero id perficitur. 1. In genere
vniuersaliter, applicando cordi seu conscien-
tia sanguinem, & totum meritum Christi,
de quo intelligatur dictum Christi paulo an-
te positum: Nisi lauerote, non habebis par-
tem mecum. 2. In specie & particulariter,
qua purgatio fieri debet quotidie aspersione
quod do
& lotione pedum, ut modo est dictum, eaq;
opus habent, qui sunt toti per Christum ab-
minu
luti. Nam licet ita purgati, toti sunt mundi:
pecc
Tamen reliquijs peccatorum, pro quibus om-
nis sanctus quotidie supplicans deprecatur,
semper adhuc cruciantur, sicut puluere &
scrupulis, iter facientium pedes. Hi inquam
quotidie impelluntur ad vitiosos affectus,
FIDE in Christum, & sanctificatione vite,
elucendos.

eluidos. Rom. 6. De hac ablutione etiam
Christus loquitur Ioh. 13. Qui lotus est non
indiget nisi ut pedes lauentur, sed est mun-
dus totus. Matth. 5. Si offenderit te oculus,
manus, pes, effossam abscissumq; abs te abij-
cias, h. e. semper frenabis $\epsilon\tau\sigma\iota\theta\upsilon\mu\iota\alpha\varsigma$, cupidi-
tates, ne erumpant grauiter ac multiplici-
ter contra legem DEI, atq; officia vocatio-
nis. IIII. CERTITUDO atq; obsigna-
tio huius purgationis, consistit in his qua-
tuor: Verbo, fide, baptismo & cæna Domini.
1. Verbo quo vniuersaliter omnibus, nemi-
ne excluso offert sabuberrimum purgationis
beneficium. 2. Fides que accipit oblatam
purificationem. Sola enim credentium corda
asperguntur & sanantur Christi sanguine,
eoq; ab omnibus peccatis emundantur. 3.
Baptismus externus, obsignat hanc interio-
rem purgationem, & admonet de noua vita
cum sanctificatione in posterum transigen-
da. Eph. 5. Eius rei imago quoq; consistit in
crebriore corporis & membrorum ablutio-
ne. 4. Corporis & sanguinis Christi crebrior
usus, qui in nobis renouat fœdus salutis, ad-
augens fidem de hac anima purgatione.

DOCTRINÆ 1. Nos sumus natura
immundi, 2. Nullæ traditiones neq; cere-
monia possunt nos mundare à peccatis extra
hanc Christi purgationem. 3. Sanguis Chri-
sti est salutaris illa aqua purificans nos ab
omnibus peccatis. 4. Certissima hæc est pur-
gatio, iuxta verbi veritatem, & sacramen-
torum confirmationē. CONSOLATIO.
Diabolo exagitantī peccatorum nostrorum
sordes, hæc certitudo purgationis consistens
in Christi sanguine est constanter opponēda.

Hactenus de dignitate & efficacia san-
guinis IESV CHRISTI.

Explica breuiter alteram sententiæ
partem.

1. Obiectum, seu materia, circa quam
hæc salutaris purgatio sanguinis IESV
CHRISTI versetur, sunt omnes creden-
tes & firmā fiducia sibi applicantes hanc tan-
tam purgationem. 2. Qualitas est ipsa pec-
cati colluies, deriuata ex Adæ naufragio seu
lapsu. 3. Quantitas consistit in infinita pec-
catorum multitudine. Hæc igitur tria sunt
consideranda, in hac altera huius sententiæ
parte. PRIMO obiectum continetur in
Aposto.

Apostoli voce **NOS**, denotante humanam naturam totam, absq; vlla restrictione ad pauciores. Rom. 11. **DEVS** conclusit omnes sub peccato vt omniũ misereatur. Idem 3. Omnes sunt sub peccato, & egent gloria **DEI**. in 1 Joh. 2. Ipse est propiciatio pro peccatis nostris, nec pro nostris tantum, sed pro totius mundi. Joh. 1. Ecce agnus **DEI**, qui tollit peccata mundi. **DVPLICES** vero homines potissimum continentur in vocabulo **NOS**, omnes, seu tota natura rationalis. 1. **OMNES** in veteri testamento, qui crediderunt in venturum Messiam, sibiq; hanc veram purgationem **FIDE** applicarunt. 2. Omnes in nouo testamento fidentes Messie exhibito & similiter sibi applicantes **FIDE** hunc purgationis sanguinem, fructumq; tanquam fecundus ager ferentes in patientia. Luc. 8. In vtroq; vero testamento, inueniuntur plurimi, qui huius tam insignis purgationis nec fiunt participes nec, saluantur. Culpa tamen neq; **CHRISTI**, est neq; preciosissimi sanguinis, siquidem omnes, & singuli ad hanc tantam purgationis gratiã inuitãtur. Mat. 11. Venite ad me, omnes, qui laboratis &

onerati estis, ego reficiam vos. 1. Timot. 2.
DEVS vult omnes saluos fieri. Col. 1. Com-
placuit patri, vt omnis plenitudo in eo habi-
taret, & per eam reconciliaret omnia sibi,
pacificatis per sanguinem cruoris eius, tum
quæ in terra, tum quæ in cælis sunt. Euidens
ergo culpa est hominum impiorum ad nu-
tum Diaboli sese à DEO auertentium.
Tales 1. Superbè contemnunt sanguinem
seu vniuersa beneficia CHRISTI freti
propria iusticia. 2. Non militant bonam
militiam, retinentes fidem & bonam con-
scientiam, h. e. peccant grauter contra to-
tum Decalogum. 3. Sedent ad viam, assen-
tientes malitiæ atq; heresibus, ad rationem
humanam excogitatis, extra DEI verbum
à Diabolo ereptū, ipsis deficientibus. Luc. 8.
4. Excutiunt fidem in Christum Mediato-
rem instante persecutione, cum possideant
cor petra durius. 5. Curant diuitias & vo-
luptates, neglecto interim regno DEI, ac
purgatione sanguinis Filij DEI, iuxta que-
relam Christi, Matth. 20. Multi sunt vo-
cati, pauci vero electi. DOCTRINÆ 1.
DEVS cupit omnes participes fieri purga-
tionis quæ fit Christi sanguine. 2. Excluden-
tes se

tes se ab hac purgatione sibi ipsimet accersunt
damnationem. CONSOLATIO. Nos
FIDE purgati sanguine CHRISTI su-
mus erimusq; puri, accepti & iustificati corā
DEO, habentes letam conscientiam. Hinc
Damascenus dixit: Passio Christi est cla-
uis paradisi. Bernhardus: Nihil tam effi-
cax ad curandum conscientia vulnera, nec
non ad purgandū aciem mentis, quā Chris-
ti vulnerum sedula meditatio. Augustis-
nus. Non possum terreri multitudine pec-
catorum meorum, quoties mihi mors IESU
CHRISTI in mentem venit. SECVN-
DO. Qualitas purgationis consistit in voca-
bulo, purgat à PECCATO, quod grace dici-
tur ἀμαρτημα, παρόπτωμα seu ὀφείλημα, de-
bitum contractum ex transgressione, lapsu,
seu errore Adæ, violante legem diuinam,
atq; inde abominabili DEO, siquidem pec-
catum faciens ex Diabolo est. Illud vero du-
plex est Originale & Actuale, & rursus
mortale & veniale: Sed minimum etiam
pœna æterna dignum, nisi abluatur sanguine
filij DEI. Nam in eo plurima concurrunt
mala, ceu sunt 1, Contemptus Maiestatis
DEI, 2, Superba contumacia, contra om-
nia pres

nia precepta legis diuina. 3. Imago DEI
ad quam homo erat conditus nefanda con-
spurcatio & destructio. 4. Imitatio Sathane
hostis DEI. 5. Intollerabilis ingratitude
creature aduersus creatorem. HINC I.
DEVM, tanquam res turpis & inuisa of-
fendit, eiusq; iram iustissimam prouocat,
tum in se, tum ciuitatem imo regionem uniu-
uersam. Gen. 7. 19. Hesiodus Poeta:
πολλὰκι καὶ συμποῖσα πόλις κακῶ ἀνδρῶν
ἔπαυσε h. e. Unius ob culpam saepe urbs
luit integra pœnas. 2. Veneratur Diabo-
lum mendacij patrem, eiusq; imaginem in-
duit, Ioh. 8. 3. Ledit illud committentem,
tum pœnis temporalibus, tum aeternis, nisi
abluatur sanguine IESU CHRISTI. 4.
Alios, tanquam contagium, offendit infi-
citq; ut & obcæcati tanquam veneni laten-
tis suauitate, & deteriores facti presentis-
simum sibi acersant exitium. 5. Reddit se-
curos hominum sensus, quos occupauit, adeo,
ut non tam occultandum, quam prædican-
dum ab ipsis videatur, quemadmodum fit
in maledicendo, potando impudicè viuendo,
excogitando atq; imponendo, nouas exactiones,
opprimendo obtrectandoq; proximum
Psal,

audebit de immundicie & reatu peccatorū,
quatenus confidimus firmiter, nos esse ablu-
tos sanguine IESU CHRISTI. Hinc di-
cit Paulus Rom. 8. Nulla nunc condemna-
tio in his, qui insiti sunt Christo Iesu. Ibi-
dem. Si DEVS pro nobis, quis contra nos.
Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis
omnibus tradidit illum, qui fieri potest, ut
non & cum eodem omnia nobis donet? quis
intentabit crimina aduersus electos DEI?
DEVS est, qui iustificat, quis ille qui con-
demnet? Christus est qui mortuus est, imò
qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexte-
ram DEI, qui & intercedit pro nobis. Quis
nos separabit à dilectione DEI? Bern-
hardus, Pax tua ultimum refugium, sin-
gulare remedium, deficiente sapientia, iu-
sticia non sufficiente, sanctitatis succumben-
tibus mentis illa succurrit. Quis enim de
sua vel sapientia vel iusticia, vel sanctitate
presumat sufficientiā ad salutem. Serm. 22.
Idem, Mors in CHRISTI morte fuga-
tur, & CHRISTI nobis iusticia imputa-
tur. Idem, Mors CHRISTI mors est meae
mortis. In exhortatione ad milites templi.
TERTIO, Quantitas seu utilitas purga-
tionis,

tionis, infinito modo sese extendit, & exprimitur in postrema sententia voce: **AB OMNI PECCATO.** Nam omnium hominum, modo credentium, omnia peccatorum genera, quantumvis enormia, hoc **CHRISTI** sanguine eluuntur, atque in abyssum maris, ne ipsorum unquam fiat recordatio, submerguntur. **SICUT** vero peccata ab originali depravatione orientia sunt varia, ita eorum causa, varij errores concitantur à Diabolo, saluberrimam atque uniuersalem hanc purgationem impediunt. 1. Qui enim in Epicureo contemptu tum peccatorum, tum **DEI** comminationum, vixerunt, ab hac saluberrima purgatione non raro sese excludunt cum finali desperatione. 2. Qui papistico more confingunt, sanguinem & mortem **CHRISTI** non sufficere ad purgandum nos singulos ab omni peccato, sed præter unctiões, lustrationes, aliasque huiusmodi ineptias, diuersa opera ad satisfactionem necessaria esse coordinanda, pro diuersa peccatorum mole. 3. Multi Stoicorum more, particularitatem somniant, confingentes quosdam aeterno **DEI** consilio destinatos esse damnationi ineuitabili, quosdam vero aeternae salutis, exclusis omnibus

omnibus conditionibus: atq; ita mentiuntur, se cum suis asseclis omnino priuatos esse hac peccatorū purgatione. 4. Nonnulli pretendunt nimiam peccatorū copiam difficultatemq; cum Caino, furenter clamantes: Maius est peccatum meum, quam ut mihi ignosci possit: atq; ita impiè desperant de hac purgatione omnium peccatorum. 5. Plurimi cum Donatistis & Nouatianis, crudeliter negare audent, peccata ex natura deprauatione commissa post conuersionem posse remitti, sibiq; ipsimet hanc tantam purgationem, nefariè & fraudulenter praecidunt. **VERVM** hi omnes errore suo ex ratione desumpto blasphemant sanguinem **I E S V C H R I S T I**, & refutati concidunt hac unica Apostoli sententia: Sanguis **I E S V C H R I S T I** purgat nos ab omni peccato. Et quidem sub voce **N O S** comprehenduntur omnes homines veram agentes pœnitentiã, numerati ab Adamo, vsq; ad postremum hominem, qui ante diem iudicij ultimum, adhuc nascetur. Sub voce **O M N I P E C C A T I**, continentur omnes peccatorum errores, quantumuis enormes, si firma fiducia in Filium **D E I** fuerint emendati. Ita s. Epicures

curei serio agant veram pœnitentiam, &
erigentes, sese confirment hoc CHRISTI
sanguine. Esaia 1. Si peccata vestra fue-
rint ut coccinum, quasi nix dealbabitur.
Augustinus: Pœnitentia vera nunquã est
sera, sed sera raro uera. 2. Papista non suo, sed
unico CHRISTI merito tribuant solidum
iustificandi honorem, iuxta dictum Pauli
1. Cor. 1. Christus nobis à DEO factus
est sapientia, iusticia, sanctificatio et redem-
tio, quemadmodum scriptum est: Qui glo-
riatur in Domino gloriatur. Jerem. 9. 3.
Stoici respiciant consilium creationis & mis-
sionis Filij DEI in mundum, licet euenus
apud omnes homines ob deprauationem in-
duratã, non respondeat. 1. Tim. 1. CHRI-
STVS IESVS venit in hunc mundũ pec-
catores saluos facere. Ibidem cap. 2. DEVS
vult omnes homines saluos fieri, & ad agni-
tionem veritatis venire. 4. Caini sectato-
res censeant, nullum omnino peccatum esse
excipiendum, cum hic CHRISTI sanguis,
ab omni peccato purget. Rom. 5. Gratia ex-
uberat supra peccatum. Augustinus refu-
tans Cainum desperantem de peccatorum
remissione: Mentiris Cain, anteponens
videlicet

videlicet iniquitatem propiciationi. Maior enim est DEI misericordia, quam omnium hominum ob peccata, miseria. 5. Donatistæ meminerint argumentationem à genere ad speciem, siue ab vniuersali vocatione ad singularem applicationem cuiusuis hominis: Sanguis Iesu Christi purgat ab omni peccato. Ergo certissimè etiam purgabit ab eo, quod committitur post conuersionem. Ezech. 18. & 33. Viuo ego nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos. Ita fecerunt David, Manasses, Saul, Magdalena, Lathro, &c. Contrarium perpetrarunt Cain, Saul, Achitophel, Judas, Franciscus de Spira. DOCTRINÆ 1. Omnia singulorum hominum peccata purgari possunt sanguine IESU CHRISTI. 2. Exclusio impiorum non à sanguine Christi, sed ab ipsorum malitia & pertinacia oritur. CONSOLATIO. De nullo omnino peccatorum reatu possunt accusari credentes, tanquam purificati preciosissimo sanguine Christi: siquidem nulla condemnatio est ijs, qui insiti sunt IESU CHRISTO, Augustinus: Totius fiducia

fiducie certitudo, est in precioso Christi san-
guine. Idem non possum terreri, multitu-
dine peccatorum meorum, quoties mihi mors
CHRISTI in mentem venit. Bernhar-
dus: Vnica passio Christi, est unicū, idemq;
perfectum opus nostre redemptionis.

Concludas tandem huius aureæ sens
tentix expositionem ?

Ex his, que iam sunt dicta breuiter, ap-
paret 1. Immensa illa dignitas & effica-
cia SANGVINIS IESV CHRISTI,
qui antefertur omni sanguini unquam pro-
fuso, solus quoq; obtinet saluberrimam illam
vim purgandi, & iustificandi coram DEO.
2. Obiectum circa quod hæc tanta purgatio
versetur, est totum genus humanum, & sin-
gulz credentes, tam immensum bonum, &
salutare lauacrum, omnium, quantumuis
enormium peccatorum, firma & certa fidu-
cia sibi applicantes. Etenim sicut excellen-
tissima, persona, IESV CHRISTI FI-
LII DEI, est dignitas, habentis omnem
potentiam in cælo, & in terra, Matth. 28.
Ita gratuita sanguinis eiusdē efficacia, in fis-
nito pondere totius mundi peccatis praualeat
nisi durities cordis humani, tanquam obiecti
F deprauati,

depravati, ex primo lapsu, & quotidie adau-
cto scelere, quandam sanguini huic imbecil-
latem affinixerit, sibiq; diffidentem incre-
dulitatem vltro acquisiuerit, O miseri, qui
suas peccatorū sordes negant abluī posse pre-
ciosissimo Christi sanguine. O beatissimi, qui
omni fiducia, sanctissimi huius sanguinis cu-
pidi sunt, & fiunt participes, atq; inde corde
contrito ac humiliato, cū in tota vita, tum
in vltimo agone vnicam suam consolatio-
nem deducentes, **SIBI acquirunt.**

ELEGIA SVAVISSIMA

**DE PASSIONE
FILII DEI, SVB IMA-
GINE ROSAE ELEGANTER
depicta, à DOCTORE & Poëta
excellenti, Iohanne
Maioire.**

Ver redit, & Zephyri flatu rosa surgit in auras,
Aemula quæ Christi monstrat imago necem.
Is caput intextum paliuri germine habebat,
Vt rosa quæ spinis pendula fixa iacet.
Et quia lacteolum depicta est sanguine florem,
Hoc est quod Christi saucia membra refert.
Nec rosa

Nec rosa nomen habet, soleat quod rodere quen-

Sed iacet à spina cuspide rosa, Rosa. (quam

Sic quamuis Christum plagis afflixit Apella, |

Cruxq; humeros pressit, spina cruenta caput: CRUX

Ille tamen patiens sacros exhalat odores,

Atque offert summo vota precesq; patri.

At leuat arcano naturæ scedere luctum,

Pellit & erecta nubila fronte, rosa:

Sic pacem reuehis Christus mortalibus agris,

Qui capiunt ipsum, non dubitante fide.

Cumq; rosæ in florem sol ardens lumina spargit,

Deicit ardenti victa calore comas:

Sic Deus in natum calidam cum sparserat iram,

Vi luit humanum victima facta nefas: victima

In cruce marcescens mortalis forma cadebat,

Maiestas obitus nescia mente lateet. Forma
victima

Purgat ut obscenam vultu rosa perlita lepram:

Sic leuat is turpi perdita corda lue.

Atq; vbi lethifero corpus succenditur estu,

Et torret calidum febris anabela iecur:

Non magis vtilior, tabem leuat herba calentem,

Illita quàm tosta, si datur vnda rosæ:

Sic liquor exudans resoluto corpore Christi,

Quem calida extorsit vindicis ira DEI.

Extinguit patrios in crimina nostra furores,

Et reprimit stygij feruida damna rogi.

Admonet ergo homines parte rosa verna salutis:

O rosa, quàm paruo maxima flore, doces.

Recita summam Elegiæ :

*Passio Filij DEI eiusq; insignis utilitas,
à D. Maiore poëta, depingitur in rosa.*

Expone dispositionem.

Elegia est generis Demonstratiui, habens partes orationis quatuor: Narrationem, Propositionem, Confirmationem & Conclusionem.

1. Narratio ponitur loco Exordij figurata $\chi\theta\sigma\upsilon\upsilon\gamma\alpha\phi\iota\alpha$ seu descriptione temporis uerni, quod ob solis motum & presentiam est occasio seu efficiens causa nascentis rosæ aliarumq; herbarum & frondiũ germinantium. Ibi: Ver redit & Zephyri, &c.

2. Propositio est in qua scopus seu intentio Elegiæ indicatur. Estq; eius hæc sententia: Rosa æmulatur, h. e. euidenter demonstrat Christi passionem & mortem, una cum eius effectibus seu utilitatibus. Ibi: Aemula quæ Christi, &c.

3. Confirmatio, in qua argumentis aliquot probat, per comparisonem accidentium & proprietatum, Rosam esse imaginem passionis.

1. Argumentum est ductum à simili, per accidens: Christus impositam habuit coronam spineam, atq; ab ea fuit combunctus, tanquam rosa, speciosissime hærens inter spinam. Ibi: Is caput intextum paliuri germine, &c.

2. Ducitur à forma, per comparisonem, Rosa refert in flore sanguineũ colore: Christus uulneratis membris sanguineus cõspicitur. Ibi: Et quia lacteolũ. &c.

3. Ab

3. Ab etymologia per $\tau\alpha\gamma\alpha\nu\omicron\mu\alpha\sigma\iota\alpha\gamma$ & comparisonem. Rosa non ro lit, sed roditur atq; odorem emittit suauiore: Christus percussus neminem uerberat, sed uerberatur, & tamen pro hostibus ardentem orat. Figuratur enim $\delta\iota\alpha\gamma\epsilon\sigma\theta\epsilon\iota\ \kappa\alpha\iota\ \epsilon\tau\alpha\nu\omicron\gamma\theta\acute{\omega}\sigma\epsilon\iota$. Ibi: Necrosa nomen habet, &c.

4. A proprio per comparisonem. Rosa tristitiam adimit, interiori & arcana odoris efficacia. Singularis enim $\sigma\upsilon\mu\omega\acute{\alpha}\theta\epsilon\iota\alpha$ est suauissima fragrantia cum cerebro, adeo ut quasi foedere naturali contineantur: Christus passione sua, quae est DEO gratissima atq; odor bonae fragrantiae, Eph. 6. exhilarans sensus reddit placatam et tranquillam conscientiam. Ioh. 20. Phil. 4. Rom. 7. Ibi: At leuat arcano naturae foedere, &c.

5. Ab accidente per comparisonem. In ardore solis marcescit rosa, & maxime cum a stipite auulsa uel in sertum est redacta: Christus in humilitate irae DEI subiectus ob peccata mundi ad mortem crucis adigitur, $\lambda\acute{o}\gamma\omega$ interim quiescente teste Theodoro & Athanasio, &c. Ibi: Cumq; rosa, &c.

6. Rursus sumitur a proprio per comparisonem: Rosa contusa et illita, corpori medetur, Christi passio *Aug 23 in man.* applicata fide, uenenum peccati a corde & anima remouet. Ibi: Purgat ut, &c.

7. Iterum a proprio per comparisonem. Aqua rosarum febrim ~~& incensum~~ iecur sanat. Sanguis I. C. *Ec: 9.* expressus calore irae DEI, peccata eorumq; reatum damnationis, abolet. Ibi: Atq; ubi lethifero corpus succenditur aestu, &c.

Conclusio. habet 1. *Ανακεφαλαίωσις*, repetitionem propositionis. Ex his igitur constat, rosam probe monere de salute hominum, recuperata passione & morte Filij DEI. Ibi: Admonet ergo, &c.
 2. *ἦθη* Affectus subiiciuntur per *ἀποστροφὴν*, tanquam *ἰσχυρόνημα συσκευασίσει* expressum, quod habet antitheticam illustrationem, cum *θαυμασμῶ καὶ δέσει* coniunctam. Ibi: O rosa, &c.

Annota locos.

I. Generalis locus est: passionem Christi, atq; adeo alia DEI opera, in natura, egregie depicta esse.

II. Speciales sunt 1. Considerandas esse ab hominibus creaturas, maxime data temporum & festorum occasione.

2. Passio filij DEI sæpius est perpendenda, secundum suas circumstantias.

3. Passio Christi, propter nos & nostram salutem est exhibita.

4. Leuissima res, sæpe maximas in se continet doctrinas, iuxta uersus Stygelij, ad Eberum scriptos, de historico eius Calendario:

Aut mihi planta suis numen demonstrat ab herbis,

Presentemq; refert vna vel herba DEVM.

Aut operis series autorem tota recenset,

Qui facit, aut lato cuncta vigore foret.

Emicat ex illis diuina potentia terris,

Et leuis est cespes qui probat esse DEVM.

Exhibe imitationem.

Quelibet

Quaelibet comparationes possunt in hunc modum
à scholasticis nostris tractari, quales sunt etiam illæ,
quas exprimit Christus apud Euangelistas ut Matth.
13. ut comparat regnum DEI seu Ecclesiam, 1. Sem-
missi. 2. Zyzania. 3. Fermento. 4. Thesauro in
agro. 5. Mercatori cum margaritis. 6. Reti, &c.

Chrysostomus confert Ecclesiã cum horto, utiles
fructus ferente, Ethnicos autem & hæreticos inutili
sylvæ, ob multa scelera, unicæ tamen fornicationis
causa. Item cum Gallina fouente pullos uarij etiam
generis, pro ut fuerunt oua. Christus se confert cum
sponso, & Ecclesiam cum sponsa.

Luna item egregiè comparatur cum Ecclesia, si-
cut & Alauda.

Tertulianus confert Trinitatem cum radice, fru-
tice & fructu. Item, cum fonte, flumine, & riuo. Item
cum mente, sermone & Spiritu. Augustinus eandẽ
depingit in sole, habente radium, lucem & calorem.

Origenes declarat Incarnationem cum ignito
ferro. Iustinus martyr, confert eandem cum corpo-
re & anima.

Recentiores aliquo modo etiam illustrant eam
similitudine sumta ab oculo, humore, & lumine lu-
cente. Item cum surculo inserto, unde sunt dulcissi-
mi uersus Philippi:

Nil sum, nulla miser noui solatia, &c.

Ita passio Christi adumbratur in sacra scriptura.
In mactatione agni in paradiso. Gen. 3. In Isaaci
imolatione. Gen. 22. In mactatione agni paschalis.

Exod.

Ἰλασθῆναι ἐξ: 25 26
Aurum Capseris

p. Sage Domi
m

Exod. 12. In Sacrificijs pro peccatis. Leuit. 14. In
Vacca rufa, imolando extra tentoria filiorum Israel,
Num. 12. In serpente suspenso de cruce. Num 21. In
funiculo coccineo demisso de fenestra, Rahab. Iosue
2. cap. In Iona deuorato, & rursus ciecto à Balena
Ion. 2.

Explicatio Elegiæ latior, breuitatis causa hic omiffa,
requiratur in schola Cotbusiensis.

Auß der 1. Epist. Joh. am 1 Cap.

Dein Blut h e r r Chriſte/wescht vnß rein/
Von allen vnsern Sünden/
Wenn wir glauben solchs fest allein/
Vnd werden gerecht erfunden.
Nichts liebers auch begeren wir/
Da doch der Glaub ihut wanken/
Den mehr vnß Chriſte für vnd für/
Solchs wollen wir dir dancken.

LAVS DEO ALTISSIMO.

154 A 44

AB 154 A 44

(X 220 3682)

219.

D. NICHOLSON
CATALOGUS
PRAGMATICUS
CONSTITUTIONUM
OECONOMICARUM

1571. 1.
1583. 1.

AB
1571



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.



DUCTIO ME. 5. ~~4~~
HODICA

PASSIO
T MORTEM
CHRISTI, FI
Mediatoris inter
m & hominem,
scripta

A
GORIO PER
nensi, Schola Cobus
sis Rectore.

antur hac introductione,
pagina indicabit.



ORLICII
Ambrosius Fritsch.

Anno
LXXXIII.

